

LEO LATINUS

BIBLIOTHECA LEONIS LATINI

<https://ephemerisnuntii.eu/bibliothecaLL.php?id=1708>

FABELLAE GRIMMIANAE VOL. III

**FABELLAE PUERILES ET DOMESTICAE
A IACOBO & WILHELMO GRIMM COLLECTAE**
QUAS E THEODISCO SERMONE IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS

VOLUMEN TERTIUM: Fabellae 101-121; 141

**CHILDREN'S & HOUSEHOLD TALES
COLLECTED BY JACOB & WILHELM GRIMM**

TRANSLATED FROM GERMAN INTO LATIN BY
NICOLAUS GROSS

THIRD VOLUME: Tales 101-121; 141

**KINDER- UND HAUSMÄRCHEN
GESAMMELT VON JACOB & WILHELM GRIMM**

AUS DEM DEUTSCHEN INS LATEINISCHE ÜBERTRAGEN VON
NICOLAUS GROSS

DRITTER BAND: Märchen 101-121; 141

101. DE DIABOLO VESTE VIRIDI INDUTO



Aliquando fuerunt tres fratres, qui fratrem minimum iterum iterumque repellebant; exituri autem et in terras longinquas abituri illi dixerunt: „Nos te non egemus, fac ut migres solitarius.“ Itaque îdem frater ab aliis relictus non potuit, quin solus iter faceret; tum in magnum ericetum veniens valdê esurivit. In ericeto autem stabant arbores in orbem positae, quibus cum subsedisset, lacrimas effundere coepit.

Subito autem fremitu audito vir cum suspiceret, diabolus advênit veste viridi indutus pede equino instructus et illum sic allocutus est: „Quidnam mali tibi accidit, ut lacrimas?“ Deinde vir illi de miseriâ suâ lamentatus est: „fratres mei me reppulerunt.“

Tum diabolus: „Te quidem“ inquit „adiuvabo. Indue hanc vestem viridem, quae habebit sacculos semper auri plenos, quandocumque eosdem aperueris; at pro eâ veste a te postulo, ne te laves per septem annos, neve capillos pectas neve precibus ores. Si intra spatium horum septem annorum mortuus eris, eris meus; sed si vivus manseris, lîber eris et dives per spatium vitae tuae reliquum“. Tum necessitate adductus vir accepit

rem a diabolo praebitam; is vestem viridem exuit, induit vir et manu sacculo imposita sensit eundem esse pecuniae plenum.

Nunc veste viridi induta vir in longinquum profectus est, primo anno bene se habuit, pecuniam suam cum solvere posset pro re quâcumque a se exoptatâ, adhuc aliquatenus habebatur pro homine.

At altero anno peius se habuit, nam capilli iam creverant in tantam longitudinem, ut a nemine agnosceretur et a nemine hospes reciperetur, quia aspectu erat taeterrimo. Quo diutius tempus procedebat, eo peius vir se habebat, sed pauperibus ubique dabat pecuniam, ut pro se orarent, ne intra septennium moreretur neve in manûs diaboli incideret.

Aliquo die anni quarti vir in cauponam vênit, caupo noluit eum recipere, sed vir e sacculis magnam copiam nummorum exêmit et pecuniam solvit in antecessum, deinde tandem accepit conclave, ubi pernoctaret. Vespere audivit in conclavi iuxta sito aliquem hominem gementem, tum illuc iit ibique conspexit senem lacrimantem et lamentantem, qui sibi dixit, ut abiret, quia se adiuvari non posset.

Deinde vir e sene quaesivit, quidnam mali ei accidisset; senex autem respondit se nullam habere pecuniam, sed cauponi multam debere, nunc in vincula coniectum tam diu detentum iri, dum pecuniam resolveret.

Tum vir veste viridi indutus: "Si res" inquit "est tantula, pecuniae mihi est sat multum, qua debitum solvam", et senem ab ære alieno liberavit.

Senex autem, cui fuerunt tres filiae pulchrae, viro dixit, ut secum abiret; nam praemio accepturum esse unam ex filiabus suis. Tum senex virum secum domum adduxit; at cum advenirent, filia natu maxima viro aspectu clamavit se omnino nolle nubere homini taeterrimo, qui humanâ formâ orbatus aspectum haberet ursi; altera quoque filia aufugiens maluit abire in terras longinquas; minima autem: „Care pater, quia in miseriam adductus ab illo adiutus hoc pollicitus es, parata sum tibi oboedire.“ Tum vir veste viridi indutus anulum de digito detractum diffregit, unam partem dimidiam puellae dedit, alteram sibi retinuit. Parti autem puellae inscripsit nomen suum, suaeque nomen puellae, et dixit, ut illa bene reconderet anulum dimidium. Deinde paulisper apud illam remansit et tum dixit: „nunc tibi sum valedicturus, abero per triennium, quo spatium fidelis mihi maneat, postea revertar, ut celebremus nuptias; sed si post triennium non

revenero, liber eris, nam ego ero mortuus; sed ora pro me, ut Deus mihi donet vitam."

Per triennium ambae sorores maiores filiam minimam irridentes dicebant illam non posse, quin nuberet urso, non accepturam esse maritum humanum. Puella autem tacebat cogitans se debere patri oboedire, quaecumque fierent. Sed vir veste viridi indutus migrabat per mundum, saepe manum sacculo imponebat sponsaeque suae emebat res pulcherrimas quascumque conspexerat, nil mali faciebat, sed bonum ubicumque poterat, et pauperibus dabat, ut pro se orarent.

Tum Deus virum tantâ in gratiâ habuit, ut îdem annis labentibus maneret vivus atque salvus. Tempore transacto vir iterum foras iit in ericetum arboribusque subsedit in orbem positus. Tum iterum fremitu cum vehementissimo diabolus advênit et mussitans et pus et venenum evomens viro obiecit vestem eius priorem viridemque postulavit. Tum iuvenis laetê vestem viridem exuit diaboloque reddidit; ita factum est, ut esset liber et dives in sempiternum. Deinde domum reversus se purgavit et ornavit et profectus est ad sponsam suam. Cum portam adveniret, socer in eum incidit, sed is iuvenem non recognovit neque voluit ei credere. Tum ascendit ad sponsam, sed ea quoque noluit credere. Tandem ex eâ quaesivit, num adhuc haberet anulum illum dimidium. Tum sponsa hoc affirmavit et abiit et anulum apportavit; iuvenis autem partem anuli suam e sacculo exemptam posuit iuxta partem alteram. Tum una ad alteram partem optimê cum quadraret, certum fuit iuvenem neminem esse nisi sponsum puellae. Ea autem nunc cum videret sponsum suum esse virum formosum, gavisâ est illumque amavit; ita factum est, ut iuvenis et puella nuptias celebrarent; ambae autem illae sorores, cum vitam assecutae essent parum felicem, tam vehementer stomachatae sunt, ut die sororis minimae nuptiali una maior aquis se submergeret, altera laqueo se suspenderet. Vespere aliquis fremens ianuam pulsavit, et sponsus cum huc venisset et aperuisset, diabolus ibi stetit veste viridi indutus et dixit: „En vide, pro unâ animâ tuâ nunc accepi duas!"

FINIS

102. DE URSO ET AVE REGULO



Tempore aestivo aliquando ursus atque lupus ambulabant, cum subito ursus cantilenam audiens aviculae: »Heus frater lupe« inquit »qualis avis est haec, quae cantat tam pulchrê?«

Deinde lupus: »Haec est« inquit, »rex avium, coram quo oportet capita declinemus«; avis autem cantans fuit regulus.

Tum ursus: »Si ita est« inquit, »velim spectare illius palatium regium, veni et duc me illuc«.

Nunc lupus: »Hoc non ita fit ut tibi videtur. Oportet exspectes, usque dum veniat Domina Regina«. Brevi post vênit Domina Regina pabulum gerens rostro insertum pullos cibatura. Ursus nunc cupivit statim sequi, sed lupus manicâ eius retentâ: »Exspecta, dum Dominus Rex atque Domina Regina abierint«. Ergo foramine invento, ubi nidus erat positus, abierunt. Ursus autem inquietus valdê cupiebat spectare palatium regium et brevi post regressus est ad nidum. Tum Rex atque Regina evolaverant; ursus nidum inspiciens vidit quinque sexve pullos ibidem cubantes.

Tum ursus vociferatus »Num hoc est palatium regium! Istud est palatium misericulum! Nec vos estis infantes regii, vos estis spurii!«

Pulli reguli cum hoc audivissent, vehementer irati clamaverunt: »Non est ita! Tales non sumus, parentes nostri sunt aves sincerae; vae tibi, urse, pro isto verbo poenam luere debebis!«

Tum ursus lupusque pertimescentes in cavernas suas reversi consederunt. Pulli autem reguli perrexerunt clamare et strepere, et parentes reversi cum pabulum afferrent, pulli dixerunt: »Nos ne pediculum quidem muscae attingemus, etsi fame peribimus, antequam diiudicatum erit, utrum nos simus pulli legitimi an spurii; nam ursus adfuit nobisque maledixit«.

Tum regulus vetus: »Quiescite, hoc diiudicabitur«.

Deinde îdem unâ cum Dominâ Regulâ ante cavernam ursi volavit et intro vocavit: »Uncator¹ vetule, quare pullis meis maledixisti? Istud male tibi eveniet, diiudicabitur enim bello cruento«. Ergo urso bellum indictum est et omnia animalia quadrupedia invocata sunt, urus et asinus et bos et cervus et caprea et quaecumque in terris sunt cetera. Regulus autem invocavit omnia, quae volant in aëre; non sôlum oportuit, ut advenirent aves magnae atque parvae, sed etiam invocati sunt etiam culices, crabrones, apes, muscae.

Tempore autem veniente, quo bellum fuit incohandum, regulus nuntios emisit, qui indagarent, quis esset hostium imperator. Culex cum esset omnium animalium volaticorum versutissimum, circumvolabat in illis locis silvae, ubi hostes erant congregati, et denique folio alicui subsedit, ubi consilia fiebant belli gerendi.

Ibidem ursus stans vulpem marem advocatum sic allocutus est: »Vulpes, tu es omnium animalium callidissimum, oportet tu sis imperator nosque ducas«.

Hôc audito vulpes: »Bene«, inquit, »sed quo signo utamur?«

Nemo hoc scivit. Tum vulpes: »Mihi est cauda longa, pulchra, pilosa, quae formâ ferê est rubrae cristae pennarum; hanc caudam si sustulero, res bene successerit, et necesse erit impetum faciatis; at caudam si demisero, necesse erit aufugiatis quam celerrimê. His auditis culex domum volavit reguloque omnia prodidit quam diligentissimê.

Primâ luce eius diei, quo proelium fuit committendum, babae, animalia quadrupedia incursabantur cum strepitu perterricrepto; regulus autem advênit cum exercitu suo aërio, qui tam vehementer clamabat, fremebat, bombizabat, ut terror et timor iniceretur hominibus; unus autem exercitus in alterum impetum fecit ex utroque latere. Primo regulus crabronem demisit, ut caudae vulpis subsideret et pungeret quam vehementissimê. Nunc primo ictu crabronis accepto vulpes alterum pedem tollens micavit, sed dolorem patiens caudam tenebat sublatam; altero autem ictu accepto vulpes non potuit, quin paulisper caudam demitteret; at tertium ictum acceptum non iam passa clamavit caudamque pedibus interposuit. Animalia autem quadrupedia cum hoc conspexissent, omnia

1**uncâtor*, -ôris m. orig. *Brummbär*. *uncâre*, -ô. *Ursi* sonum *ēdentēs* *dīcuntur* *uncâre*. SUET.Carm.Phil.50. ANTHOLOGIA LATINA 762,51 (233,51).

esse perdita putantes coeperunt aufugere, omne in cavernam suam; sic factum est, ut victoriam parerent animalia volatilia.

Tum Dominus Rex et Domina Regina domum volaverunt ad pullos suos et vocaverunt: »Heus pulli, gaudete, comedite, bibite quantumque cupitis, nos victoriam peperimus«. Pulli autem reguli dixerunt: »Nondum comedimus, primo oportet ursus veniat ante nidum nostrum et deprecatus confiteatur nos esse pullos legitimos«.

Tum regulus ante cavernam ursi volavit et vocavit: »Heus urse uncator, oportet repas ad nidum pullorum meorum et deprecatus dicas illos esse pullos legitimos, alioquin costae, quas habes in corpore tuo, conculcabuntur«. Tum ursus summo timore commotus illuc repsit et deprecatus est. Nunc tandem pulli reguli contenti cum essent, hilarissimi consederunt, comederunt, combiberunt in multam noctem.



FINIS

AVIS REGULUS QUALE GENUS AVIUM SIT UTRUM EST ORNITHOLOGORUM REGULUS AN TROGLODYTES?



Troglodytes troglodytes
(theodiscê: Zaunkönig)



Regulus regulus
(theodiscê: Goldhähnchen)

Otto Keller mundi bestiarum antiqui indagator doctissimus (Die antike Tierwelt, tom. II, Leipzig 1913, p. 82 sq.) putat nomen regale (*rex, regulus, βασιλεύς, πρέσβυς*) originaliter attributum esse *Regulo regulo* propter fasciculum pennarum aureum capiti insitum, coronae quadamtenus similem, qui erigi possit. cfr PLIN. nat. X 204 sq. Sunt enim quaedam his bella amicitiaeque...dissent...aquilae et *trochilus*, si credimus, quoniam *rex appellatur avium...regulus et terrestris* (coni. Saint-Denis, codd. rursus cum terrestribus) mustela et cornix...cfr Ps. ARISTOTELES, Historia animalium 9,1, p. 609a17; 911, p. 615a19).

NOMEN REGIS AVIUM INDAGAVIT LEO LATINUS

103. DE PULTE DULCI



Aliquando fuit pia puella pauper, quae unâ cum matre vixit sôla, et ambae nihil iam habuerunt, quod comederent. Tum puella foras exiit in silvam, ibidem incidit in anum, quae iam noverat puellae miseriam, eique donavit ollulam, quae quandocumque sibi dictum erat "Ollula, coque!", coquebat bonam pultem miliaceam dulcem, et quandocumque puella dixerat „Ollula, siste!", desinebat coquere. Puella autem hanc ollulam domum secum attulit, et nunc mater et puella a fame atque paupertate erant liberatae, et pultem dulcem comedebant, quotiescumque volebant. At aliquando puella domo exierat, tum mater dixit „Ollula, coque!", et ollula pultem coxit, et mater comêdit, usque dum saturaretur; nunc eadem voluit ollulam sistere, sed nescivit, quo verbo dicendo id efficeret, ut ollula pultem coquere desineret. Ergo ollula perrexit pultem coquere; quo factum est, ut puls ascenderet super marginem, et tamen ollula coquere non desineret, ut complerentur coquina et domus, et altera domus et deinde via strata, quasi ollula vellet saturare omnes homines totius orbis terrarum, ut oreretur necessitas summa et ferê nullus homo inveniret remedium. Tandem, cum una tantum domus restaret, quae non pulte abundaret, puella domum veniens nihil dixit nisi: „Ollula, siste!" et tum ollula desiit coquere; et si voluerunt in urbem ire, necesse fuit, ut illuc pervenirent comedendo.

FINIS

104. DE BESTIIS FIDELIBUS

Aliquando fuit vir, qui non multum habuit pecuniae, et cum parvâ pecuniâ, quae sibi restiterat, profectus est ad terras longinquas. Tum vênit in vicum, ubi pueri concurrebant clamantes atque strepitantes.

Vir autem: „Quid“ inquit, „agitis, pueri?“ -

Deinde illi responderunt: „Ecce, murem habemus, quem volumus saltet, vide, quantum delectemur! En murem trepidantem!“

At virum miseruit miseræ bestiolæ, itaque pueris dixit: „Ah pueri, sinite murem aufugere, dabo vobis pecuniam.“

Tum illis pecuniam dedit, ut murem sinerent abire, îdem cucurrit quam celerrimê in aliquem scrobiculum. Vir autem abiit et vênit in alterum vicum, ubi pueri simiam habebant, quam coegerunt, ut saltaret et cernuaret¹, et illi eum irridebant nec bestiam omittebant quietam. Tum vir illis quoque dedit pecuniam, ut simiam dimitterent. Postea vir vênit in vicum tertium, ibi pueri habebant ursum, quem cogebant, ut sederet erectus et saltaret et uncaret, quod audiebant libentissimê. Tum vir etiam eum redêmit, et ursus laetatus est, quod denuo ingrederetur quattuor pedibus, et abiit.

Vir autem nunc cum etiam pauxillulum erogavisset pecuniae sibi relictæ, ne nummulum quidem habuit in sacculo suo bracarum.

Tum vir intra se cogitavit: „Rex tot tantasque res possidet thesaurario suo impositas, quibus non eget: Ne fame peream, aliquid illinc sumam, et si quid pecuniae denuo accepero, hanc summulam in thesaurario reponam.“

Ergo thesaurarium invasit, nonnulla cimelia secum abstulit, at erepens a custodibus rēgis deprehensus est. Qui eum dicentes esse furem abduxerunt ad iudicem, qui virum damnans dixit cistæ includendum esse, quae imponenda esset aquae. Operculum autem cistæ abundabat foraminibus, ut aer invaderet; necnon cistæ impositus est urceus aquae et panis. Aquae innatans timore correptus vir subito audit ad claustrum aliquid arrepens et arrodens et fremens: tum claustrum rapidê aperitur, operculum tollitur, en apparent mus et simia et ursus, qui aperuerunt; quia

¹ **cernuäre**, -ō, -āvi, -ātum orig. *einen Purzelbaum schlagen*. angl. *to turn a somersault*. cfr OLD p.3023 s.v.: “To fall head first, dive; to turn a somersault. Catafractos similes esse beluis piscibus, eas eludere alto mari cernuantes FRO.Ver.2. p.212 (208 N). corpus exanimatum in flumen paene cernuat APUL.Met.1.a9; -pellis...percurrerant ibique cernuabant VAR. in Non.p.21.M.”

vir iis adfuerat, ipsi voluerunt ei adesse. Sed nunc nesciverunt, quid facturi essent, et consuluerunt: tum annatavit lapis albus, qui aspectu fuit ôvi rotundi.

Tum dixit ursus: „en is vênit recto tempore, nam est lapis mirabilis, quem is qui possidet, potest sibi exoptare quidcumque cupit.“ Tum vir lapidem cepit, eumque manu tenentem sibi exoptavit, ut acciperet castellum, cui adiaceret hortus et stabulum equorum, et vix optatum elocutus vir iamiam consedit in castello, cui adiacebat hortus et stabulum equile, et omnia erant pulchriora et magis magnifica, quam ut mirari desineret.

Aliquamdiu post mercatores praeterierunt. „Ecce,“ vocaverunt „quam magnificum est hoc castellum, cum nuper hunc locum praeteriremus, nihil hîc fuit nisi mala harena.“ Cum curiosi essent, intraverunt et ex viro quaesiverunt, quonam modo omnia tam celeriter aedificavisset. Tum vir: „Hoc non ego feci, sed lapis meus mirabilis.“ Tum illi: „Qualis est hic lapis?“ Deinde vir lapidem allatum monstravit mercatoribus. Qui vehementer cupiverunt lapidem accipere, et rogaverunt, num posset emi, et viro praebuerunt omnes merces suas pulchras. Vir quia mercibus allicebatur et animo erat parum constanti, deceptus putavit merces pulchras plus valere quam lapidem suum mirabilem, eumque vendidit. At vix e manibus lapidem ediderat, iamiam amisit etiam fortunam suam bonam, et iterum consedit in cistâ illa conclusâ flumini impositâ nihil habens nisi urceum aquae et panem. Bestiae fideles, mus et simia et ursus, cum viderent miseriam viri, eum adiuvere voluerunt, sed ne claustrum quidem aperire potuerunt, quia hoc nunc multo stabilius fuit quam primo. Tum ursus dixit: „Necesse est nos invenire lapidem mirabilem, alioquin omnia sunt frustra facta.“ Quia mercatores adhuc habitabant in castello, bestiae unâ illuc ierunt, et cum appropinquarent, ursus dixit: „Heus mus, i illuc et perspice foramen claustrarium et vide, quid agendum sit; tu es minor quam ut ab ullo homine animadvertaris.“

Mus oboedivit, sed reversus dixit: „fieri non potest, nam vidi lapidem haerere sub speculo taeniolâ rubrâ suspensum, et a dextris et a sinistris sedet catta magna oculis igneis praedita, quae lapidem custodit.“ Tum ceterae bestiae dixerunt: „Eas iterum ad ianuam, exspecta, dum dominus in lecto iaceat et obdormiscat, deinde per foramen irrepe, ascende lectum, nasum domini morde, morsuque deseca eius capillos!“ Mus autem

iterum iit ad ianuam, fecit ut ab aliis iussus erat; dominus nunc excitatus nasum fricavit stomachans : „Cattae“, inquit, „non aptae sunt, nam sinunt mures inire, qui mihi desecant capillos e capite“ et ambas cattas fugavit.

Tum mus victoriam peperit. Alterâ nocte cum dominus obdormivisset, mus irrepsit et arrosit taeniolam rubram, e quâ pendebat lapis, usque dum eâ discissâ lapis decideret: deinde mus eum traxit usque ad ianuam domesticam.

Mus autem misericulus pondere lapidis molestatus simiae dixit iam exspectanti: „tu nunc effer lapidem manu tuâ.“

Id autem simiae facile erat factu; qui lapidem manu apprehendit et unâ ierunt ad flumen. Tum simia: „Quo nunc modo veniemus ad cistam?“

Tum ursus respondit: „Hoc mox fiet, ego ibo in aquam et natabo; tu, simia, inside dorso meo, utrâque manu me tenê comprehensum, lapidemingere ori tuo; muscule, tu insideas auri meae dextrae.“

Itaque haec fecerunt, per fluvium natabant.

Aliquamdiu post ursus silentii impatiens coepit garrere: „Audi, simia, nos quidem sumus boni sodales, nonne?“

At simia non respondit et tacita remansit.

Tum ursus: „Tunc“ inquit „quomodo te geris? Nonne vis respondere sodali tuo? Malum est non respondere!“

Tum simia non diutius potuit tacere, ôs aperuit, ut lapis in aquam decideret et ursum vituperavit, „quonam modo respondere potui lapide ori ingesto? Nunc eum perdidimus, et hoc factum est tuâ culpâ!“

Tum ursus: „Noli indignari,“ inquit, „cogitando inveniemus remedium.“ Deinde consuluerunt, et ranas, bombinas¹, omnesque bestias, quae vivunt in aquâ, convocaverunt, et dixerunt: „impetum in vos faciet ingens hostis, curate, ut lapides comparetis quotcumque potestis, ut aedificemus vobis murum, quo protegimini.“

Tum bestiae territae undique attraxerunt lapides, tandem etiam vetus rana crassa coaxatrix² e fundo fluminis urinata annatavit et secum attulit taeniolam illam rubram rostro impositum, cui alligatus erat lapis mirabilis.

Tum ursus gaudio completus onere ranae accepto paucis verbis valedixit.

Deinde tres bestiae descenderunt ad virum cistae inclusum, lapide adhibito operculum diffregerunt et venerunt recto tempore, nam vir pane

1 *bombīna, -ae f. orig. *Unke*.

2 rāna *coaxātrīx (nomen iocosum) orig. *Quackfrosch*.

et aquâ consumptis fame paene perierat. Lapide mirabili recepto sibi exoptavit bonam valetudinem et effecit, ut insideret in castello suo pulchro, cui adiacebant hortus et stabulum equorum; ibidem vixit iucundê, et tres bestiae apud eum manserunt, et bene se habuerunt per totam suam vitam.

FINIS

105. FABELLA BUFONIS¹

Aliquando erat puerulus, cui mater omni tempore postmeridiano dabat patellam lactis et paniculos, quibus acceptis puerulus foris in aulâ considebat. Qui quandocumque comedere incipiebat, bufo e rimâ muri repebat, capitulum lacti imponebat, unâ cum puerulo bibebat. Puerulus autem de hac re gaudens cum patellae assidebat, sed bufo non statim adveniebat, illum advocabat: »Bufo, bufo, bufuncule, adveni, accipe frustulum, et fruire lacte«. Tum bufo accurrebat et lacte fruebatur.

Idem bufo puerulo se gratum praestabat eo quod afferebat varias res pulchras, lapides nitidos, margaritas, crepundia aurea e thesauro suo clandestino allata. Sed bufo nihil sumebat nisi lac; frustula non tangebatur. Tum puerulus ligulâ sumptâ leniter impulit bufonis caput et dixit: »Baburre, sume frustula!« Mater, quae stabat in coquinâ, audivit puerulum cum aliquo loqui, et cum videret illum ligulâ pulsare bufonem, ligno arrepto excurrit bonamque bestiolam necavit.

Inde ex hōc tempore puerulus aliquatenus mutabatur. Idem, dum cum bufone comederat, creverat atque corroboraverat, at nunc genis antea rubedine pulcherrimis pallescentibus macrescebat. Nec mora, nocte noctua coepit clamare et rubecula collegit ramulos foliolaque ad coronam funebrem conficiendam et mox puerulus lecticae impositus est sepeliendus.

II.

Puella orba moeniis assidens nebat, tum bufonem conspexit ex aperturâ muri inferiore erepentem. Tum puella sericeum focale suum caeruleum celeriter iuxta se evolvit; nam talem pannum bufones cum vehementer diligant, in eum solum repere solent. Bufo autem focali conspecto conversus revertit auream coronulam secum afferens, quam panno

¹ titulus originalis: „Märchen von der Unke“. Nomen autem theodiscum, q.e. „Unke“ fratres Grimmi non referunt ad bombinas (quae nequaquam solent vitam degere in domibus hominum), sed ad bufonem: http://woerterbuchnetz.de/Adelung/call_wbgui_py_from_form?sigle=Adelung&mode=Volltextsuche&hitlist=&patternlist=&lemid=DH01354: „Die Hausunke, plur. die -n.

1) Ein Nahme der Hausschlange, S. dieses Wort. 2) Der Erdkröte, welche sich gern in den Häusern, Kellern und Ställen auf dem Lande aufhält...“ – cfr Grimmsches Wörterbuch, Bd. 24, Sp. 1083: „d) auch die literaturspr(ache) spiegelt wie die spr(ache). Des gewöhnlichen lebens das schwanken zwischen 'schlange' u. 'kröte' wieder; z. b. ist eigentlich 'schlange' gemeint: so sollst du tief in's burgverliesz,/ wo molch und unke nistet Bürger 52b; Hebbel 8, 46; in dem kerker ... unter kröten und unken Ch. v. Schmidt 7, 33; doch überwiegt in diesen fällen die unbestimmte vorstellung des grauenhaft-abscheulichen. die ra. wie eine unke leben, sehr einsam, eingezogen Wander 4, 1461 weist auf II 1 a und c. anderseits käme 'b u f o', unzertrennlich von ihrem nassen element, in betracht: Grimm märchen 2, 113;

imposuit iterumque abiit. Puella coronam sustulit; quae nitida confecta erat e filis aureis tenerrimis. Nec mora, bufo revertit iterum: at cum coronam non iam videret, ad murum arrepsit et dolore affectus tam diu capitulum muro impellebat, usque dum mortuus prosterneretur. Puella autem si coronam reliquisset intactam, bufo etiam plures thesauros e cavernâ attulisset.

III.

Bufo vocat »huhu, huhu« puer revocat: »Egredere«. Bufo egreditur, tum puer e bufone quaerit, ubi sit sororcula: »Nonne vidisti Rubrisocculam?« Bufo autem respondet: »Ego quoque non vidi; cur tu non vidisti? huhu, huhu, huhu«.

Jacob Grimm 1785 - 1863 et Wilhelm Grimm 1786 - 1859.



ECCE BUFO

106. DE PAUPERE SOCIO MOLINARIO ET CATTULA



Aliquando in quadam molinâ, ubi nemo vixit nisi vetus molitor et uxoris et filii expers, serviebant tres socii molinarii. Cum iidem per aliquot annos sibi serviissent, molitor illis dixit: »Proficiscimini! Is qui domum mihi attulerit equum omnium optimum, ei tradam molinam«.

Tertius autem sociorum fuit servus minor, qui ab aliis habebatur pro fatuo, ei molinam non concesserunt; et îdem postea eam ne voluit quidem. Tum omnes tres unâ domo exierunt, et cum ante vicum venirent, duo fratres dixerunt Iohanni fatuo: »Fac hîc maneat, nam tu caballum nullum umquam accipies per totam vitam tuam.«

Tamen Iohannes unâ cum illis iit, et nocte obortâ venerunt ad cavernam, in quâ cubitum ierunt. Duo fratres callidiores exspectaverunt, dum Iohannes obdormisceret. Deinde surrexerunt et Iohannulo relicto profecti sunt sentientes se sat callidê fecisse; at hoc vobis parum bene succedet!



Sole oriente Iohannes experrectus sensit se iacêre in cavernâ profundâ: quocumque prospiciens vociferatus est: »Eheu, Deus, ubi sum!«

Tum surrexit, sursum e cavernâ repsit, iit in silvam cogitans »Quonam modo nunc accipiam equum!«

Huic cogitationi traditus incidit in cattulam parvulam et versicolorem, quae: »Heus Iohannes« inquit, »quo ire vis?« -

»Ah! Tu quidem nescis me adiuvare.«

Tum cattula: »Quid tu cupias, bene scio. Cupis habere caballum bellulum; veni mecum, sis servus meus fidelis per septem annos, deinde tibi dabo equum, qui erit pulchrior quam omnes quos tu umquam vidisti.«

Tum cattula puerum secum duxit in castellulum suum devotum: îdem debuit bestiae servire omnique die lignum concidere, ad quod faciendum accepit asciam argenteam, cuneos, serram argenteam, malleum cyprinum. Inde lignum concidebat, in domo manebat, bona esculenta et potulenta sumebat, sed neminem videbat praeter cattulam versicolorem.

Aliquando eadem puero dixit: »Abi illuc et pratum meum falcastro reseca et gramen sicca« eique dedit falcastrum argenteum et cotem auream, sed iussit Iohannulum omnia rectê reddere.

Tum Iohannes illuc iit et mandata fecit; labore exanclato falcastrum et cotem et fenum domum attulit et rogavit, num illa sibi datura esset mercedem. Tum catta: »Nondum« inquit »tibi dabo mercedem.

Primo oportet unum etiam mihi facias. Ecce adsunt materia aedificandi argentea, ascia, norma et quae sunt necessaria, omnia argentea, ex iis aedifica mihi domunculam». Tum Iohannes domunculam integram construxit et dixit se nunc omnia fecisse, sed nondum habere equum; septem autem anni ei tam celeriter transierant quam annus dimidius.

Deinde catta quaesivit, num vellet videre equos? Iohannes autem: »Volo«. Tum catta ei domunculam aperuit, et ianuâ vix apertâ ecce ibi stant duodecim equi, eia, qui fuerunt perquam magnifici, tam bellulê nitebant et splendebant, ut Iohannes gauderet intimo ex corde. Nunc catta ei dedit esculenta et potulenta et: »Abi« inquit »domum, equum tuum tibi non do, sed triduo post veniam eumque mecum tibi adducam«. Itaque Iohannes domum iit et catta ei monstravit viam, quâ veniret ad molinam. Sed quia ei non dederat vestem novam, Iohannes non potuit, quin retineret vetulum amiculum linteum detritum, quod secum attulerat, et quod spatio septem annorum ubique nimis breve factum erat.



Cum Iohannes domum iret, duo socii molitoris ceteri etiam adfuerunt iterum, quorum quisque equum secum attulerat, sed unius equus fuit caecus, alterius claudus. Qui quaesiverunt: »Heus Iohannes! Ubi est equus tuus?«

»Qui veniet post tres dies«. Tum illi ridentes dixerunt: »Heu Iohannes, unde tu accipies equum, scilicet istunc fore extraordinarium!«

Iohannes autem in conclave iit, sed molitor dixit, ne veniret ad mensam, quia vestimenta eius essent nimis pannosa et discissa, si qui alius intraret, fore, ut se eius puderet.

Tum illi Iohanni dederunt aliquantulum ciborum, quod foris comederet et vespere cubitum euntes duo alii ei noluerunt dare lectum, ut denique reperet in stabulum anserarium ibique in pavimento decumberet, quod pauxillulo stramenti erat obtectum. Mâne autem cum surgat, tres dies iam transierunt, et vênit raeda sex equis adiuncta, qui - eia! - enituerunt nitore pulcherrimo - et agaso attulit equum septimum, quem dedit pauperi socio molinarii; e raedâ autem escendit magnifica filia rēgis, et intravit molinam, et filia rēgis fuit illa cattula versicolor, cui Iohannes miser servierat per septem annos. Quae rogavit molitorem, ubinam esset socius molinarius, servus minor?

Tum molitor: »Isti non possumus permittere, ut intret molinam, quia vestibus est discissis, iste iacet in stabulo anserario.« Tum filia rēgis dixit, ut illum adducerent.

Itaque Iohannem adduxerunt, et eidem amiculum fuit convolvendum, ut corpus obtegeretur; tum minister exemit vestimenta magnifica, et Iohannem lavit et induit, hisque rebus confectis Iohanne nullus rex fuit pulchrior.

Deinde virgo voluit equos aspicere, quos alii socii molinarii secum adduxerant, unus fuit caecus, alter claudus. Tum ministrum iussit adducere equum septimum; quo aspecto molitor dixit equum tam bellulum sibi nondum in aulam introductum esse; puella autem: »Hic autem« inquit »socio tertio est dandus«.

Tum molitor: »Si ita« inquit »ei etiam molina est tradenda«; sed filia rēgis dixit ibi esse eius equum, et ut sibi retineret etiam molinam: et Iohannem suum fidelem sumptum raedae imposuit cumque eodem aucta est. Ambo primo vecti sunt ad domunculam illam, quam Iohannes aedificaverat instrumentis argenteis; sed - babae! - eadem interim facta erat magnum castellum argento auroque abundans: denique puella regalis Iohanni nupsit, ut is esset

dives, tam dives, ut divitiae sibi sufficerent in totam suam vitam.
Itaque ne quis dicat puerum fatuum fieri non posse virum probum.

FINIS



107. DE CORNICIBUS



Quidam miles probus aliquantum pecuniae meruerat et parcendo collegerat, quia sedulus erat neque, ut ceteri, in cauponis stipendium profundeat. Duo autem commilitones quondam eius, qui animis erant dolosis eumque fraudulenter pecuniâ privare cupiverunt, sed simulaverunt se eius amicos esse.

Aliquando ei dixerunt: »Audi, quid maneamus hîc in urbe tamquam captivi inclusi? Talis qualis tu es, domi bellulam mercedem additiciam si merueris, postea iucundê vivere poteris.«

Talibus verbis dicendis eum tam diu urgebant, ut denique assentiens cum illis abire vellet; alii autem nihil in animo habuerunt nisi sodali foris pecuniam auferre.

Aliquantulum cum iter fecissent, duo illi: »Necesse est ibi dextrorsum eamus, ut limitem adveniamus.«

Tum miles probus: »Quod« inquit, »Deus avertat, ibi via nos referret ipsam in urbem, necesse est eamus sinistrorsum.«

Tum illi clamaverunt: »Quid, tu audes nobis contradicere?« et invecti tam diu eum mulcaverunt, usque dum collaberetur, et pecuniam ex eius

sacculis exemerunt; sed hoc istis nondum satis fuit mali, qui cultro oculos effoderunt socii sui, eundem ad patibulum traxerunt, eiusque ligno alligaverunt. Deinde eo relicto cum pecuniâ raptâ in urbem reverterunt.



Vir caecus miserrimus nescivit, loco quam malo esset, circumiecta digitis attingens sensit se sedere sub trabe ligneâ.

Tum credens sibi superpositam esse crucem: »Hoc« inquit »saltim bene fecerunt, quod me alligaverunt cruci, ut Deus mihi adesset« et coepit Deum orare.

Nocte adveniente audivit sonum plausitandi¹. Quem ediderant tres cornices in trabe desessurae.

Tum vir audivit unam cornicem dicentem: »Heus soror, quid boni affertis? O si homines scirent id quod nos scimus! Filia rēgis aegrotata est, et rex vetus eandem promisit illi viro, a quo sanaretur; sed hoc nemo scit facere, nam ea non reconvalescet, nisi cinerem biberit bufonis, qui habitat in stagno illo.«

Tum cornix altera: »O si homines scirent id quod nos scimus! Hodiernâ nocte ros decidet e caelo, qui est tam mirabilis tamque salubris, ut, si quis est caecus, hōc rore oculis óblito visum recuperet suum².«

Tum etiam cornix tertia: »O si homines scirent id quod nos scimus! Bufo combustus in cinerem redactus nemini proderit nisi uni, ros proderit

1 **plausitō**, -āre: flattern; cfr Georges, Ausführliches Handwörterbuch Lateinisch-Deutsch, tom.II, col.1734, s.v.: „plausito, -are (plaudo), klatschen (mit den Flügeln), ANTHOL.LAT. 762,21 (233, 21).“

2 **visum recuperāre**: cfr Joannes Langius, Epistolarum medicinalium volumen tripertitum, Hanoviae 1605, p.928: “... nec pater ipse (potuisset) **visum recuperare**, nisi felle piscis caligantes oculos inunxisset oculos.“

tantummodo paucis, sed urbs est in magnis angustiis, in eâdem omnes putei sunt sicci, et nemo scit magnum lapidem quadrangularem in mercatu positum esse amovendum, et sub eodem humum esse excavandam, quia ibi scaturit aqua bellissima.«

His dictis vir caecus audivit cornices avolare plausitantes.



Vinculis paulatim solutis vir caecus dorso deflexo nonnulla graminula¹ decerpsit et oculos suos oblevit rore, qui in eadem deciderat.

Mox vir visu recuperato vidit lunam stellasque in caelo positas necnon vidit se stare iuxta patibulum.

Deinde testulis vasorum quaesitis tantum collegit roris pretiosi, quantum potuit, et hōc facto ad stagnum iit, aquam fodiendo a stagno removit, bufonem exemit eumque combussit, ut ad cinerem redigeretur. Cinerem secum attulit ad aulam rēgis, et curavit, ut filia rēgis eundem aquâ solutum biberet, et cum puella reconvaluisset, miles eandem petivit in matrimonium ducendam, ut erat promissum.

At vir rēgi displicuit, quia gerebat vestimenta detrita; itaque rex dixit, qui filiam suam habere vellet, ei primum curandum esse, ut urbs acciperet aquam; rex enim speravit se hōc modo liberatum iri a molesto petitore nuptiarum.

Vir autem huc iit, iussit homines amovere lapidem quadrangularem in mercatu positum et ibidem fodiendo aquam quaerere. Illi vix coeperant fodere, iam attigerunt fontem bellissimum, e quo aqua prosiluit. Nunc autem rex non iam potuit filiam renegare, connubio cum eâdem est coniunctus, et ambo unâ vixerunt iucundissimê.

¹*grāminulum, -i n. cfr Georg Henisch, Teutsche Sprach und Weißheit, Thesaurus Linguae et Sapientiae Germanicae, Augustae Vindelicorum 1616, col.1726: "Gresich, Greßle, Gräsle **graminulum**".

Aliquando cum per campum ambularet, incidit in socios quondam suos, a quibus tractatus erat fide pessimâ.

Illi eum non cognoverunt, sed is statim cognovit illos, accessit et: »Videte« inquit, »hic est socius quondam vester, cui tam turpissimê oculos effodistis, sed Deus carus curavit, ut mihi istaec res evaderet feliciter.«

Tum illi ad pedes eius se prostraverunt veniamque ab eo petiverunt; is autem anima candida cum esset, illos misericordiae plenus secum in castellum abduxit, cibus saturavit vestimentisque induit.

Deinde sociis suis narravit, quid sibi factum esset et quomodo ipse honorem adeptus esset.

His auditis duo socii valdê commoti statuerunt, ut ipsi nocte sederent sub patibulo sciscitantes, num quid accepturi essent bonum atque utile. Sub patibulo cum sederent, mox super capitibus eorum aliquid plausitatum est, et tres cornices illae advenerunt.

Una autem alteri dixit: »Audite, sorores, certum est aliquem sermonem nostrum aucupasse, nam filia rēgis est sana, bufo e stagno ablatu est, caecus quidam vir factus est videndi compos, et in urbe fodiendo invenerunt novum puteum, venite, quaeramus sermonis aucupatorem, fortasse istum inveniemus«.

Tum plausitantes devolaverunt, ambos furciferos invenerunt, sine morâ iam iam insederunt capitibus virorum, qui obstupefacti sederunt defendendi inhabiles, iisdemque oculos effoderunt, nec desiverunt facies improborum effodere rostris acutissimis, dum illi iacerent prostrati mortuissimi¹.

FINIS

¹ Superlativus huius verbi saepius invenitur in litteris Latinis, e.g. cfr Angelin Gazet, PIA HILARIA, Antverpiae 1629, p.131: „O mi anime, pergite illa, redditus vitae/ qui modo fuisti **mortuissimus** purum/ putum cadaver moxque moxque humo dandum? ---

108. IOHANNES MEUS ERINACEUS



Olim fuit agricola dives, qui unâ cum uxore suâ nullos habuit infantes; saepius cum in oppidum ibat aliis agricolis comitantibus, iidem iridentes rogabant, curnam nullos haberet infantes.

Tum aliquando irâ incensus domum reversus: »Volo« inquit »habere infantem, etiamsi erit erinaceus.«

Deinde uxor eius infantem peperit, qui corpore superiore fuit erinaceus, inferiore puer, et eodem conspecto mulier territa marito dixit: »Viden te nos devovisse?«

Tum vir: »Qualiscumque est, puer oportet baptizetur, sed non inveniemus compatrem.«

His auditis uxor: »Aliud nomen ei non imponere possumus nisi *Iohannem Meum Erinaceum*«.

Cum puer baptizatus esset, parochus dixit: »Is quidem propter aculeos suos non potest collocari in lecto solito.«

Tum post fornacem paululum stramenti est depositum, in quo collocaverunt Iohannem Meum Erinaceum. Nec îdem potuit lac matris bibere, nam lactans illam pupugisset aculeis suis. Itaque Iohannes post fornacem iacuit per octo annos, et pater, quem filiis pertaedit, cogitavit : 'Utinam iste pereat!', sed Iohannes non periit, sed remansit ibidem iacens. Nunc in oppido factae sunt nundinae, et agricola illuc profecturus ex uxore quaesivit, quidnam illa optaret, ut secum afferret. Tum illa: »Aliquantum carnis, et nonnullos paniculos, qui conferunt ad cenam parandam«. Deinde quaesivit ex ancillâ; quae voluit nonnullos calceos domesticos et tibialia; denique vir dixit: »Iohannes Mi Erinacee, quidnam vis accipere?« Hôc audito Iohannes: »Mi Atta« inquit, »affer mihi fistulam utriculariam«.

Agricola autem reversus uxori dedit, quae secum ei attulerat, carnem et paniculos, deinde ancillae dedit calceos domesticos et tibialia, denique iit post fornacem Iohannique Meo Erinaceo dedit fistulam utriculariam.

Hac fistulâ autem acceptâ Iohannes meus erinaceus: »Mi Atta« inquit, »eas, quaeso, ad fabrum ferrarium et cures calceandum gallum meum cucurritorem¹.

Deinde gallo ascenso abequitabo neque umquam reveniam«.



¹ **gallus *cucurrîtor** i.q. orig. **Göckelhahn**. **Cucurriô, cucurrîre** est verbum temporale **onomatopoeticum**, quo denominatur vox galli, invenitur apud Suetonium grammaticum: cfr <http://www.zeno.org/Georges-1913/A/cucurrio>: "cūcurrio, îre, **kollern**, vom Haushahne, Suet. fr. 161. p. 251, 4 R. Anthol. Lat. 762, 25 (233, 25).“ Etiam nomen originale «Göckel» sive «Gockel» est onomatopoeticum: <https://de.wiktionary.org/wiki/Gockel>: "**lautmalerische (onomatopoetische)** Bezeichnung des „**Haushahnes**“: frühneuhochdeutsch *guckel, gugel, gogkel*, süddeutsch *göckel, göcke, göcker*, mitteldeutsch *gickel*, verstärkend im 15. Jahrhundert: *gockelhahn, göckelhahn* und im 17. Jahrhundert: *Gickelhahn*.“

Tum pater gaudens, quod ab onere liberaretur, curavit gallum calceandum, et deinde Iohannes Meus Erinaceus in gallo consedit et porcos asinosque secum abducens, quos voluit foris in silvâ pascere.



Sed in silvâ Iohannes Meus Erinaceus ursit gallum, ut secum volaret in arborem altam: ibidem sedens custodiebat asinos et porcos et per annos longos sedebat, usque dum grex esset adultus, neque pater aliquid scivit de filio suo. Cum autem in arbore sedebat, inflabat fistulam suam utriculariam, ut fierent modi musici, qui essent valdê pulchri.

Aliquando praetervectus est rex, qui itinere deerraverat, et audivit modos musicos; tum is miratus ministrum suum emisit, ut inveniret, unde venirent modi musici. Qui circumspexit, sed neminem vidit nisi parvam bestiam supra in arbore sedentem, quae fuit talis qualis est gallus cucurritor, cui insidebat erinaceus, et qui modos effecit musicos.

Tum rex dixit, ut minister quaereret, cur ille ibi sederet et nonne sciret, ubi esset via, quae ferret in regnum suum.

Deinde Iohannes Meus Erinaceus ex arbore descendit et dixit se viam monstraturum esse, si rex scribendo promisisset se possessurum esse id, in quod rex domum veniens in aulâ regali primum incisurus esset.

Tum rex cogitavit se hoc posse liquido facere, Iohannem Meum Erinaceum enim scripta non intellegere, itaque se posse scribere quidcumque vellet. Sic cum cogitasset, rex pennâ atque atramento sumptis aliquid scripsit et hōc facto Iohannes Meus Erinaceus ei viam monstravit, ut rex feliciter domum veniret.

Eius filia autem, patrem e longinquo conspiciens gaudio completa ei occurrit et dedit osculum.

Tum rex de Iohanne Meo Erinaceo cogitans filiae narravit, quid sibi accidisset et mirâ quadam bestiâ iubente sibi fuisse scripto promittendum id, in quod domum veniens primum incisurus esset, illamque bestiam gallo insedissee tamquam equo pulchrosque modos musicos edidisse; at se scripsisse illi bestiae nihil fore dandum, nam Iohannem Meum Erinaceum nescire, quomodo legeretur.

De hac re principissa gavisa est dicens hoc esse bonum, nam numquam futurum fuisse, ut ipsa illuc iret.



Iohannes autem Meus Erinaceus pascebat asinos atque porcos, semper hilaris, arbori insidebat et fistulâ utriculariâ canebat. Nunc factum est,

ut alter rex adveheretur unâ cum ministris atque cursoribus, itinere deerraverat, nec scivit, quomodo domum reveniret, quia silva erat permagna.

Tum etiam rex e longinquo audivit pulchros illos modos musicos et ex cursore quaesivit, quidnam hoc esset, ut videret, unde hoc venisset.

Tum cursor iit sub arborem, in quâ vidit gallum cucurritorem sedentem, eidemque Iohannem Meum Erinaceum insidentem.

Cursor autem ex illo quaesivit, quidnam ibi supra vellet. »Pasco asinos meos porcosque; quidnam tu vis?« - Cursor dixit se itinere deerrasse nec scire, qua viâ in regnum redirent, nonne ille sciret viam monstrare? -

Tum Iohannes Meus Erinaceus unâ cum gallo ex arbore descendit et dixit rêgi veteri, se velle illi viam monstrare, si ille id sibi dare vellet proprium, in quod domum reveniens ante castellum suum regale primum incisurus esset. Rex autem hoc affirmavit, scribendo promisit Iohanni Meo Erinaceo, ut illud haberet.

Hôc facto Iohannes Meus Erinaceus gallo cucurritore provectus est viam ostendens, ut rex feliciter reveniret in regnum suum.

Cum in aulam rediret, magna laetitia est exorta. Unica filia, quam habuit, pulcherrima rêgi occurrit, patrem amplexa osculata gaudio perfusa, quod pater reverterat. Quaesivit quoque, ubinam gentium pater versatus esset per tantum spatium temporis.

Tum rex filiae narravit se itinere deerrasse, nec multum defuisse, quin reversurus esset, sed magnam silvam pervehens aliquem semierinaceum eundemque semihominem gallo tamquam equo insidentem in altâ arbore sedenti, pulchros modos musicos edidisse; eum sibi adfuisse sibique ostendisse viam, se autem illi, ut mercedem haberet, promisisse, quidcumque, in quod domum veniens in aulâ regali primum incisurus esset, et hoc esse eam ipsam filiam, et se nunc illud vehementer dolere.

Sed tum filia patri promisit secum illo libenter abituram esse, si ille veniret, veteris patris gratiâ.

Iohannes autem Meus Erinaceus pascebat porcos porcasque suas, quae genuerunt porcas porcosque, qui etiam genuerunt, ut tota silva porcis abundaret. Tum Iohannes Meus Erinaceus iussit patri suo dicere, ut parentes evacuarent omnia stabula totius vici et pararent, nam se venturum esse cum tanto grege porcorum, ut omnis vicanus tot porcos

mactaret, quot posset. Tum pater erat contristatus haec audiens, nam cogitavit Iohannem Meum Erinaceum iam pridem esse mortuum.

Iohannes autem Meus Erinaceus insedit gallo suo cucurritori, porcos egit ante se in vicum et curavit eosdem mactandos; hui! quanta erat iugulatio atque mactatio, quae audita est per spatium itineris duarum horarum. Deinde Iohannes Meus Erinaceus: »Mi Atta«, inquit, »Cura, quaeso, iterum gallum cucurritorem calceandum ante officinam fabri ferrarii; deinde abequitabo, neque umquam revertar in vita mea.«

Tum pater eius calceandum curavit gallum cucurritorem, et gavisus est, quod Iohannes Meus Erinaceus noluit revenire.

Iohannes autem Meus Erinaceus abequitavit in primum regnum, ubi rex imperaverat, si quis adveniret gallo vectus et secum habens fistulam utriculariam, ut omnes in eum sclopetarent et caederent et pungerent, ne veniret in castellum.

Nunc cum Iohannes Meus Erinaceus equitans adveniret, milites cultris sclopetariis in eum invecti sunt, is autem gallo calcaribus subditis volavit trans portam ante fenestram regis, ibidem consedit eidemque acclamavit, ut sibi daret id quod promisisset, alioquin se eum eiusque filiam vitâ esse privaturum.

Tum rex filiae blandis verbis studuit persuadere, ut foras ad illum iret, ut sui et ipsius vitam servaret.

Tum filia albas vestes induit, et pater filiae dedit currum cum sex equis et ministris magnificis, pecuniam, bonaque. Filia currui insedit, et Iohannes Meus Erinaceus iuxta illam consedit, tum aliis valedixerunt et profecti sunt.

Rex autem cogitavit se filiam non iam revisurum esse. At aliter factum est quam cogitatum, nam aliquanto itineris ab urbe remoti cum essent, Iohannes Meus Erinaceus filiae régis exuit vestimenta pulchra, cute suâ erinaceâ illam pungebat, usque dum esset sanguine prorsus óblita, et dixit: »Hanc tibi dedi mercedem fallaciae vestrae, abi, te nolo« eamque fugavit domum, ut infamis remaneret in vitam suam reliquam.

Iohannes autem Meus Erinaceus perrexit iter facere gallo suo cucurritori insidens fistulâ suâ utriculariâ instructus, ad alterum regnum, ubi etiam régi viam ostenderat. Is autem praescripserat, si quis veniret talis qualis Iohannes Meus Erinaceus, eum ut salutarent sclopetata

ostentantes, eum ut introducerent et «Vivat!» vocantes eum ut ducerent in castellum regale. Eundem cum aspiceret, filia rēgis territa est aspectu tam miro et alieno. At eadem cogitavit sibi nihil aliud restare, nam se pollicitam esse hoc patri suo.

Tum Iohannes Meus Erinaceus ab eâ salutatus est et rogatus, ut iret ad mensam regiam, et principissa consedit iuxta eum, et ambo comederunt et biberunt. Cum autem advesperasceret et ambo cubitum essent ituri, tum principissa valdē timuit Iohannis Mei Erinacei aculeos. Is autem dixit, ne illa timeret, nullum detrimentum illam capturam esse, et dixit rēgi veteri, ut iuberet quattuor viros venire, qui vigilarent ante cubiculi ianuam et magnum ignem accenderent, et quando in conclave ingressus in lecto se collocaturus, se ex cute suâ erinaceâ erēpturum eamque ante lectum relicturum esse; deinde ut viri alacriter assilirent cutemque inicerent igni, ibidemque ut manerent, usque sum cutis igne consumeretur tota. Hora autem undecima cum campanae sonitu indicaretur, Iohannes iniit conclave, cutem erinaceam destrinxit eamque reliquit in pavimento positam; tum viri venerunt cutemque celeriter captam igni iniecerunt, et cute igne consumptâ Iohannes est redemptus et in lecto iacuit corpore prorsus humano instructus, sed tam nigro, ut videretur esse ambustus. Tum rex eum misit ad medicum, qui Iohannem Meum Erinaceum lavit bonis unguentis balsamoque oblevit. Tum factus est albus, et fuit pulcher Dominus iuvenis.



Filia autem rēgis cum hoc videret, gavisata est et laetē unâ currum ascenderunt, comederunt, biberunt, et nuptiae sunt celebratae, et Iohannes Meus Erinaceus a vetere rēge accepit regnum.

Nonnullis annis transactis îdem cum uxore vectus est ad patrem suum, et dixit se esse filium eius; pater autem dixit se nullum habere filium, habuisse quidem unum solum, qui erinaceo similem natum fuisse aculeatum et abiisse in terras longinquas.

Tum Iohannes Meus Erinaceus se ipsum esse filium ostendit et pater vetus gavisus est et cum eo iit in regnum.

Fabella mea nunc finita exit ad domum Augustulae.

FINIS

109. DE CAMISIOLA FUNEBRI

Alicui matri erat puerulus septem annorum, qui erat tam pulcher et amabilis, ut nemo eum aspiceret nisi diligeret; nec mater ullum aliud tantopere amavit quam hunc filiolum.

Nunc factum est, ut puerulus subito in morbum incideret et a Caro Deo auferretur; huius mortis matri nullum fuit solacium, ut eadem fleret die noctuque. Paulo post puerulus, cum esset sepultus, nocte apparuit in iis plateis, ubi alioquin vivus consederat et luserat; mater cum lacrimabat, puerulus quoque lacrimabat, et prima luce evadebat.

Cum autem mater non desineret lacrimare, quadam nocte puerulus apparuit alba camisiola funebri indutus, qua indutus arcae funebri erat impositus, et capite coronula oblecto, ad pedes matris consedit in lecto, et: *»Heus mater«* inquit, *»desine lacrimare, alioquin non possum obdormiscere in arca mea funebri, nam non siccescit camisiola mea funebris lacrimis tuis, quae omnes cadunt in illam.«*

His verbis auditis mater territa desiit lacrimare. Nocte autem sequenti puerulus reversus manu tenens lucernulam: *»Viden'?»* inquit *»nunc camisiola mea mox erit sicca, et ego in sepulchro meo dormiam quiete.«*

Tum mater Caro Deo maerorem suum mandavit eumque passa est tranquille atque patienter, neque puerulus revertit, sed dormiebat in lectulo suo subterraneo.

FINIS

110. IUDAEUS IN SPINETO VERSATUS



Aliquando fuit vir dives servum habens, qui ei serviebat sedulê probêque, omni mâne primus e lecto surgebat, vespere ultimus in eodem se collocabat, et si qui labor durus erat quem nemo volebat suscipere exanclandum, is semper primus illum suscipiebat. Neque umquam lamentatus omnibus rebus contentus erat et semper bono animo. Anno transacto dominus illi nullâ mercede datâ cogitavit: *»Hoc optimê quadrat, hôt modo pecuniae parco, et iste non abit, sed bellulê hîc remanet mihi laborare pergens.«* Servus autem tacuit, altero anno tantum laboris exanclavit quantum primo, quo exeunte iterum cum nullam acciperet mercedem, passus est et remansit etiam diutius. Denique tertio anno transacto dominus de mercede cogitans manum sacco indidit, sed nihil pecuniae exemit. Tum tandem servus: *»Domine«* inquit *»tibi servivi per tres annos fideliter, da mihi, te amabo, id quod iuris causâ mihi dandumst: Nam abiturus sum, ut cognoscam terras longinquas.«* -

Tum vir ille parcepromus respondit: »*Bene, care serve, servivisti mihi impigre, ideo oportet clementer tibi dem mercedem*«, iterum manum sacco bracarum indidit et singillatim numeravit servo tres nummulos: »*En habes singulis annis singulos nummulos, haec est merces magna et abundans, quantam accepisses ab aliis dominis paucis.*« - Bonus autem servus, qui paululum tantum scivit de pecunia, nummulis acceptis secum cogitavit: »*Nunc sacculus pecuniâ completus est, quidnam cures gravi labore exanclando, quidnam pergis vexari?*» -

Tum profectus est, sursum, deorsum, laetoque animo prosiliebat. Nunc factum est, ut servo spinetum praetereunte quidam homunculus inde prodiens vocavit: »*Quo vadis, sodalis hilaris? Video te curas tuas haud aegrê ferre.*« Tum servus: »*Quidnam*« inquit, »*tristis sim? Habeo satis multum, in sacco meo sonat merces trium annorum.*« Deinde homunculus: »*Quantinam est thesaurus tuus?*« - »*Quantus? Sunt mihi tres nummuli integri, rectê numerati*«. Tum nanus: »*Audi*« inquit, »*equidem vir sum pauper et egenus, dona mihi tres nummulos, quia nullo iam modo possum operari, cum tu autem iuvenis facile laborando panem accipere possis.*« Quia servus animâ fuit candidâ misericordiâ homunculi plenâ, eidem donavit tres nummulos dicens: „In nomine Dei, nihil mihi deerit.“

Deinde autem homunculus locutus est: »*Cum videam animam tibi esse candidam, tibi concedo tria vota explenda, pro omni nummulo mihi dato unum votum, quod tibi expleatur.*« Tum servus: »*Aha*« inquit, »*tu es artis magicae peritus, agamus, si ita fiat, exopto mihi primo sclopetum auceps, quo usus omnia perfodiam, ad quae collineavero; secundo mihi exopto violinam, qua si cecinero, omnes cogantur ut saltent sono audito; tertio, si quem quam rem rogavero, is ne eam recuset.*« Deinde homunculus: »*Haec omnia habeas*«, manum spinetum indidit et - mirum! - ibi violina et sclopetum auceps iam praesto erant, quasi quis sibi mandavisset: quae homunculus dedit servo et: »*Quidcumque*« inquit »*tu tibi rogaveris, ne ullus homo ubique terrarum tibi hoc recuset*«.

»*Eia, corculum, quid nunc tibi restat exoptandum?*» servus nunc dixit sibi ipsi, et laetê iter perrexit. Paulo post incidit in Iudaeum longâ barbâ caprinâ instructum, qui stans audiebat cantum cuiusdam avis quae sedebat

in arbore summâ. Is evocavit: »O miraculum Dei! Tantula bestia habet vocem tam fortem! Utinam istaec mihi esset! Quisnam salem inspergat istius caudae!« -

Tum servus: »Si res« inquit »est tantula, ea avis mox erit deiecta«, collineavit, et globulo emisso avis perfossa decidit in spinetum.

Deinde dixit Iudaeo: »I, furuncule, et avem tibi affer sumptam.« - Tum Iudaeus: »Heus« inquit, »a nomine furunculi desistas, tum accurram; avem mihi afferam, quia deiecisti«, humum decubuit et coepit in frutices irrepere. Iudaeus autem cum medio spineto inesset, bonus servus lasciviens violina deposita coepit eadem canere. Statim Iudaeus coepit pedes tollere et in altum prosilire et quo celerius servus chordas perstringebat, eo vehementior facta est saltatio. At spinis vestis detrita Iudaei est discissa et barba caprina pexebatur, totum corpus pungebatur scalpebaturque.

Tum îdem: »Vae mihi!« clamavit. »Quid mihi cantus violinae! Domine, desine violina canere, nam nolo saltare.« -

At servus non audivit cogitans: »Tu homines satis vexasti, nunc spinetum ne tibi melius faciat« et denuo violinâ cecinit, ut Iudaeus non posset, quin etiam altius prosiliret, et laciniae vestis spinis adhaerescerent. Tum Iudaeus exclamavit: »Vae mihi! Dabo tibi, Domine, quantumcumque vis, si quidem violinâ canere desieris, integram bursam auro completam«.

Tum servus: »Si tu« inquit »tam liberalis es, desinam musicam facere, sed hoc non possum quin laudem, quod saltas optimê« bursâque acceptâ iter perrexit.

Iudaeus autem tacitus constitit et aspexit abeuntem quietus remanens dum servus e conspectu auferretur remotissimus, deinde clamavit voce quantum potuit maximâ: »Vae tibi, musice pessime, fidicen vilissime! Exspecta, dum te deprehendam violinae expertem! Te venabor tam vehementer, ut amittas soleas calceorum; tu furcifer, grossumingere rostro tuo, ut valeas sex nummulos«, et perrexit mala verba facere quotcumque sibi in mentem veniebant.

His dictis animoque aliquatenus relaxato in urbem cucurrit ad iudicem. »O domine iudex, quantum doleo! Mediâ in viâ rurali privatus sum et male afflictus ab homine impio, tam violenter, ut lapidem misereatur mei

terrestrem! Vestimenta mea sunt discissa! Corpus spinis perpunctum et dilaceratum! Aurum una cum bursa ablatum! Ducati nummi fuerunt unus altero pulchrior! Per Dei voluntatem oro, ut curetis istum hominem in carcerem coniciendum<<.

Tum iudex: »Fuitne<< inquit, »miles, qui te acinace suo tantopere affligeret?<< - Iudaeus: »Per Deum!<< respondit. »Acinacem nudum non habuit, sed sclopetum habuit ex dorso suspensum, et violinam e collo pendentem; his rebus facilis est cognitu.<< -

Iudex autem emisit adiutores suos quaesitum, qui invenerunt bonum servum, qui perquam lente iter perrexerat, necnon invenerunt bursam auro completam. Servus autem in ius vocatus dixit: »Iudaeum non tetigi neque eius pecuniam abstuli, sed ille eam mihi ultro obtulit, ut desinerem violina canere, quia non passus est modos meos musicos.<< -

»Quod Deus avertat!<< Iudaeus clamavit, »iste mendacia capit ut muscas parieti assidentes<<.

At iudex etiam non credidit verba servi dicens: »Haec est mala excusatiuncula, talia nullus facit Iudaeus.<< et bonum servum capitis damnavit, ut moreretur laqueo suspensus.

Cum servus ad patibulum abduceretur, Iudaeus ei acclamavit: »Tu pigerrime, musice miserrime, furcifer, nunc accipies mercedem tuam bene meritam.<< Servus autem tranquillissime una cum carnifice ascendit per scalam, in ultimo autem gradu se convertit et ad iudicem versus: »Unum<< inquit, »concede mihi rogatum, antequam moriar.<< - Tum iudex: »Concedam<< inquit, »nisi rogabis, ut vitam tibi donem.<< Deinde servus: »Non rogo<< inquit, »ut vitam mihi dones, sed ut ultimum mihi liceat violina mea canere." Tum Iudaeus coepit clamare lamentabiliter: »Per Dei voluntatem, noli hoc permittere, noli permittere.<< At iudex: »Quidni<< inquit, »ei congaudeam paulisper? Concedo hoc ei, et hoc sufficiat.<< Nec potuit recusare, propter facultatem magicam servo donatam. At Iudaeus clamavit: »Vae mihi! Vae mihi! Alligate me, ne possim moveri!<<

Tum bonus servus violinam de collo sumptam instruxit, et primo chordarum attactu omnia coeperunt vacillare et titubare, iudex et scriba et apparitores et e manu eius, qui erat Iudaeum alligaturus, restis excidit; altero autem attactu omnes pedes sustulerunt, et carnifex

bonum servum dimisit et se praeparavit ad saltandum, et tertio attactu chordarum violinae omnes in altum prosiluerunt et coeperunt saltare, et iudex et Iudaeus primo ordine constituti optime saliebant.

Mox omnes unâ saltaverunt, qui curiosi ad plateam erant congregati, homines senes et iuvenes, crassi et macri unus cum altero saltavere: et canes qui una cum hominibus accurrerant, pedibus posterioribus considentes etiam saltavere. Et quo diutius servus violina canebat, eo altius saltatores saliebant, ut unius caput cum capite alterius collideret et homines inciperent miserrime clamare.

Tandem iudex ferê exanimatus vocavit: »Dono tibi vitam, ut desinas canere violina.« - Bonus servus his verbis commotus violinam deposuit, collo circumposuit, et de scala descendit.

Tum ad Iudaeum humi prostratum anhelantem aggressus: »Furuncule« inquit, »nunc confitere, unde pecuniam acceperis, aut violinâ de collo sumptâ denuo canam.« -

»Furatus sum, furatus sum!« Iudaeus clamavit, at tibi iuste est factum!« - Tum iudex curavit, ut Iudaeus ad patibulum duceretur et furti condemnatus laqueo suspenderetur.

FINIS

111. DE IUVENE VENANDI PERITO



Fuit aliquando iuvenis, qui cum artem claustrariam didicisset, patri dixit sibi eundum esse in terras longinquas, ut experiretur, quidnam facere valeret.

Tum pater: »Assentior« inquit, »sanê hoc facias« filioque dedit pecuniam ad iter faciendum. Itaque iuvenis circumvagans petebat operam exercendam.

Aliquando cum artis claustrariae parum lucrosae parumque decorae eum taedesceret, affectus est cupiditate venandi. Tum migrans incidit in venatorem veste viridi indutum, a quo rogatus, quisnam esset et unde venisset, et quo migraret?

Iuvenis autem respondit se esse socium claustrarium, sed artem claustrariam sibi non iam placere; se velle artem venandi discere, num ille paratus esset ad hanc artem docendam.

»Ah bene, ero, si quidem tu mecum migrare volueris.«

Tum iuvenis venatorem comitatus est et per aliquot annos illo docente absolvit tirocinium venandi.

Deinde îdem ipse voluit fortunam suam experiri, a venatore nullam mercedem accepit nisi sclopetum pneumaticum, quod eo fuit mirandum, quod iuvenis quandocumque iaculabatur, numquam a scopo aberravit.

Tum profectus vênit in silvam permagnam, cuius finem non invênit quamquam per totum diem permigraverat.

Cum advesperasceret, iuvenis consedit in arbore altâ, ne nocte incideret in bestias feras.

Multâ nocte iuveni visa est lucula e longinquo enitêre, tum îdem per ramos in illam prospiciens attendit, ne oblivisceretur, ubi illa esset. Sed primo petasum sumptum deiecit ad lucem, ut is etiam esset sibi signum, quo agnosceret directionem. Nunc ex arbore descendit, petasum accessit, denuo capiti imposuit, rectâ viâ iter perrexit.

Quo longius iter faciebat, eo maior fiebat lux, et cum appropinquasset, vidit eam esse ignem ingentem, cui assidebant tres gigantes, qui assabant bovem verutum.

Nunc unus eorum: »Gustabo« inquit, »num caro satis percocta sit«, frustum abreptum ori ingessurus - sed eo momento temporis frustum carnis e manu deiectum est globulo quem venator erat iaculatus.

Tum gigas: »Talia« inquit, »interdum fiunt: En vento mihi frustum e manu abiectum est«, et sumpsit alterum.

At carnem admorsurus, eadem quoque a venatore sclopetando abiecta est; tum giganti iuxta se sedenti alapam duxit et clamavit ira incensus: »Quid frustum mihi abripis?« -

Tum alter: »Equidem« inquit, »frustum tibi non abripui, nescio an hoc fecerit aliqui sclopetator lynceus«.

Gigas autem tertium sumpsit frustum, sed manu tenere non potuit, quia venatoris globulo eiectum est.

Tum gigantes dixerunt: »Qui iaculando frustum ab ore scit abicere, procul dubio est bonus sclopetarius - talis nobis erit utilis« et vocaverunt magnis vocibus: »Veni huc, iaculator acerrime! Conside ad ignem, et comede ut satureris; nullam vim tibi offeremus; sed nisi vênêris, violenter in te agemus, ut pereas«.

Tum iuvenis adiit et dixit se esse venatorem peritum, et ad quamcumque rem se collinearet, hanc perfossum iri globulo suo certissimê.

Tum illi dixerunt, si iuvenis secum venturus esset, bene se habiturum esse, eique narraverunt ante silvam esse quendam lacum, post quem stare turrim, cui insideret pulchra filia rêgis, quam vellent rapere.

Tum iuvenis: »Hanc«, inquit, »mox adducam«. Tum illi loqui perrexerunt: »Est etiam alia res gerenda, ibi iacet catulus, qui, si quis appropinquaverit, statim incipiet latrare, et ubi primum latrabit, excitabuntur omnes aulici in aulâ regali, itaque non poterimus intro venire;

tune poteris catulum necare sclopetando?« Iuvenis: »Si res« inquit, »est tantula, faciam facillimê«.

Deinde consedit in aliquâ nave, et vectus est super lacum, et ubi primum fuit in terrâ, accurrit catulus latraturus, sed iuvenis sclopeto pneumatico correpto catulum necavit iaculando. Hôc viso gigantes laetati putaverunt filiam rēgis sibi iam esse certam, sed iuvenis eosdem iussit foris remanere, usque dum a se advocarentur.

Tum îdem iit in castellum, vastum erat silentium, et omnes dormiebant; primo conclavi aperto iuvenis vidit acinacem ex pariete pendentem, qui confectus erat ex argento puro, eidem inerant stella aurea necnon nomen rēgis; iuxta eum stabat mensa, cui imposita erat epistula sigillata, quam effregit; in epistulâ scriptum erat eum, qui haberet acinacem, eodem omnia quae sibi obvenirent posse vitâ privare. Tum acinace de pariete sumptum sibi accinxit, ire perrexit, vênit in conclave, ubi iacebat filia rēgis dormiens, et ea tam pulchra erat, ut consisteret tranquillus eam aspectans animâ compressâ.

Circumspiciens iuvenis vidit par calceorum domesticorum sub lēcto positum, quorum in dextro inscriptum erat nomen patris stellâ additâ, in sinistro nomen filiae stellâ additâ. Collo puellae circumpositum erat magnum anaboladium sericeum, cui aureae litterae acu erant impictae, in parte dextrâ nominis paterni, in sinistrâ proprii.

Tum venator forfice sumptâ laciniam dextram resecurit et perae suae indidit, et deinde etiam calceum dextrum sumpsit et indidit. Nunc virgo adhuc dormiens iacebat tota camisiae insuta, iuvenis laciniolam quoque camisiae absectam apposuit ceteris perae iam insitis, sed haec omnia faciens puellam numquam attingens.

Deinde iuvenis profectus est virginem relinquens intactam atque inturbatam, et cum ad portam reveniret, ibi gigantes adhuc stabant exspectantes eum adducturum esse filiam rēgis. At iuvenis illis acclamavit ut etiam intro venirent, virginem a se iam captam esse; sed ianuam se non posse aperire, necessarium esse, ut illi reperent per quoddam foramen. Nunc primus gigas appropinquavit, tum venator capillos gigantis circa manum suam volvit, eius caput intro traxit, uno ictu acinacis abscidit, deinde intro traxit corpus reliquum. Tum venator alterum gigantem vocavit, item eius caput abscidit, denique tertium, et gavisus est, quod

pulchram virginem ab adversariis liberaverat, et linguas gigantum absectas perae suae imposuit.

Tum cogitavit: ‚Domum ibo ad patrem meum monstratum, quid iam confecerim, deinde migrabo per terras longinquas; nam faustam fortunam, quam Deus mihi donare voluerit, me accepturum esse bene spero.‘

Rex autem in castello, cum experrectus esset, vidit tres gigantes mortuos in pavimento prostratos; tum iit in cubiculum filiae, eam excitavit, rogavit, quisnam fuisset, qui gigantes vitâ privaret.

Tum filia: »Care pater« inquit, »nescio, nam dormivi«.

Cum virgo surrexisset, voluit induere calceos domesticos; sed animadvertit dextrum deesse, et anaboladium aspiciens invenit idem esse dissectum et deesse laciniam.

Deinde rex iussit omnes aulicos congregari et milites et omnes alios praesentes et ex iis quaesivit, quisnam filiam liberavisset et gigantes vitâ privavisset?

Rex autem habuit centurionem, qui erat uno tantum oculo et formâ foedâ, is dixit se hoc fecisse. Tum rex dixit, quia centurio hoc perfecisset, eidem licere filiam suam in matrimonium ducere.

At virgo: »Care pater« inquit, »pro eo, ut isti viro nubam, mâlo abire in terras longinquas tam longê, quam ferar a pedibus meis.«

Tum rex dixit, si illi nollet nubere, ut exueret vestimenta regia, indueret rustica, et abiret; et ut iret ad figulum et faceret mercaturam vasorum figlinorum.

Tum virgo exuit vestimenta regia, iit ad figulum, mutua sumpsit vasa figlina; promisit ei etiam, se, si vespere illa vendidisset, pecuniam esse soluturam.

Deinde rex dixit, ut filia consideret in angulo et vasa venderet; tum sibi mandavit nonnullos currûs rusticos, qui per vasa veherentur media, ut omnia diffringerentur in mille testulas.

Ubi primum filia rēgis vasa figlina in viâ posuit, venerunt currûs, quibus vasa diffracta sunt in mille testulas; tum virgo coepit lacrimare et: »O Deus« inquit, »quamnam pecuniam nunc solvam figulo?«

Rex quidem isto modo cogere voluerat, ut centurioni nuberet; at pro eo virgo iterum iit ad figulum eumque rogavit, num iterum sibi mutua daret

vasa figlina. Ille autem negavit, et postulavit, ut puella primo pecuniam sibi solvat pro vasibus antea datis.

Tum ea rediit ad patrem clamans atque lamentans se velle abire in terras longinquas.

Tum is dixit ut filia iret in silvam, ibi ei curaret domunculam aedificandam, in quâ per vitam suam reliquam sederet pro quibuslibet hominibus, sed ne sumeret pecuniam pro cibis coctis. Itaque domunculam filiae curavit in silvâ aedificandam necnon titulum ante ianuam suspendendum, cui inscriptum erat: »Hodie gratis, cras pro pecuniâ«. Ibi virgo sedebat per longum tempus, ut fama percrebresceret ibi sedere virginem, quae gratis coqueret, quod inscriptum esset titulo ianae praeposito.

Hoc cum audivisset etiam venator, cogitavit: ‚Haec tibi videtur esse bona occasiuncula, nam pauper es pecuniae expertus, sclopetum pneumaticum et peram, cui omnia adhuc inerant, quae illo tempore in castello ut indicia veritatis indiderat, iit in silvam necnon invênit domunculam titulo instructam, cui inscriptum erat: »Hodie gratis, cras pro pecuniâ«. Accinxerat autem acinacem illum, quo capita absciderat trium gigantum, intravit domunculam, sivit sibi dare aliquem cibum.

Iuvenis gavisus est de virgine pulchrâ, verê formosissimâ. Cum eadem quaesivisset, undenam venisset et quo iturus esset; tum iuvenis respondit: »Circumvagor per terras longinquas.«

Cum illa quaesivisset, undenam accepisset acinacem, cui inscriptum esset nomen patris sui, iuvenis quaesivit, num illa esset filia rēgis? « - »Sum« illa respondit.

Tum iuvenis: »Hôc acinace« inquit, »capita abscidi trium gigantum« et indicio e perâ exemit linguas illorum, deinde monstravit virginis calceum domesticum et laciniam anaboladii necnon partem camisiae.

Tum puella summê gavisâ dixit iuvenem esse eum, qui se redemisset. Deinde unâ ierunt ad regem vetustum et filia patrem duxit in cubiculum suum eique dixit venatorem esse reverâ illum, qui se redemisset a gigantibus.

Cum autem vetus rex indicia haec omnia aspexisset, non iam dubitans dixit hoc sibi plurimum placere et ut iuvenis nunc in matrimonium duceret filiam suam; quo virgo gavisâ est intimo ex corde.

Deinde iuvenem vestierunt, quasi esset vir alienus, et rex curavit convivium parandum. Cum essent cenaturi, centurio iussus est considerare a sinistris filiae rēgis, venator a dextris, et centurio putavit eum esse virum alienum visitatorem.

Cum comedissent atque bibissent, vetus rex centurioni dixit se eidem propositurum esse aenigma, quod solveret: si quis diceret se tres gigantes vitâ privavisse, et rogari, ubi essent linguae gigantum, et eundem capitibus inspectis nullas invenisse, quonam modo istud fieri potuisset?

Tum centurio: »Equidem puto« inquit, »illos linguas numquam habuisse«. Tum rex: »Erras« inquit, »certê omne animal habet linguam« et quaesivit ex isto, quânam poenâ dignus esset ille? Tum centurio respondit: »Iste dignus est, qui in partes distrahatur«.

Tum rex dixit eum ipsum de se iudicavisse, et centurio comprehensus in vincula coniectus est et deinde in quattuor partes distractus.

Filia autem rēgis nupsit venatori, qui arcessivit patrem atque matrem, ut gaudenter apud filium viverent, et rēgi seni mortuo successit.

FINIS

112. DE CAELESTI FLAGELLO TRITURARIO¹

Aliquando aliqui agricola cum duobus bobus aratum profectus rus cum veniret, subito cornua boum coeperunt celeriter crescere, nec crescere desierunt; et cum agricola domum iturus esset, cornua fuerunt maiora quam ut per portam oppidi intraret. Feliciter accidit, ut modo adveniret lanus, cui boves vendidit sub hac condicione, ut lanio mensuram seminum rapae afferret, et ille sibi pro omni grano daret thalerum Brabantinum. Babae, bene vendidit! Agricola domum iit mensuramque seminum rapae attulit subbaiulatam; at adiens granulum perdidit e sacco decidens. Lanus autem agricolae pecuniam solvit ita ut erat pactum; nisi agricola illud granulum amisisset, uno thalero plus accepisset. At reversus vidit e granulo arborem crevisse tantam, ut caelum attingeret. Tum agricola cogitavit: *„occasiunculam nactus velim videre, quidnam faciant angeli ibi in excelsis, illos semel saltim aspectare.“* Itaque ascendit et ibi conspexit angelos avenam triturantes, eosque perrexit aspectare hoc facientes; aspectans autem subito animadvertit arborem, in quâ stabat, vacillare, et oculis deorsum versis vidit modo aliquem virum hanc arborem caesurum esse. Tum agricola cogitans *„Si deorsum caderem, heu quam malum esset!“*, et summâ necessitate oppressus aliam viam salutis non invênit nisi paleam avenae acervatim ibi stratam corripuit et eâdem contorquendâ funem confecit et ligonem et flagellum trituratorium, quae in caelo iacebant deiecta, necnon per funem in caelo affixum ad terram descendit. At infra incidit in foramen altissimum; itaque felicissimê accidit, ut secum haberet ligonem, quo comprehenso humum incîdens scalas sibi efformavit, quibus ad terrae superficiem ascenderet; ibi autem hominibus monstravit flagellum trituratorium, ne quis narrationem suam addubitaret.

¹ **flagellum trītūrārium**, orig. *Dreschflegel*, instrumentum frumenti triturandi, i.e. grana frugum excutiendi, iam pridem obsoletum. Quod nomen neque apud *Caesarem* neque apud *Ciceronem* inventum bonus *Scheller* lexicographus non audet proponere nisi cum stupendâ, ne dicam ridiculâ cum cautione religiosissimâ, cfr Immanuel Johann Gerhard Scheller, Ausführliches und möglichst vollständiges deutsch-lateinisches Lexicon oder Wörterbuch zur Übung in der lateinischen Sprache in zwey Bänden, Leipzig 1805, tom.II, col.971: „Flegel, 1) zum Dreschen, etwa *flagellum excutiendis granis frugum serviens*, oder *flagellum triturae frugum serviens*, oder kürzer, *flagellum trituratorium* (doch möchte letzteres Wort nicht vorkommen), oder *pertica frugum granis excutiendis* (oder *exterendis*) *serviens*, auch ohne *serviens*, kürzer *pertica trituraria* (doch möchte letzteres Wort nicht vorkommen), oder *pertica triturae frugum serviens*; oder *flagellum frumentarium* etc.“ SOPHOS! BABAE, BONE IMMANUEL, QUAM ARGUTUS ES!

113. DE DUOBUS FILIIS RÊGIS



Aliquando fuit rex, cui natus erat puerulus, cuius constellatione praedictum erat se sedenarium interfectum iri a cervo. Cum puerulus adolevisset, aliquando venatores cum eo profecti sunt venatum. At in silvâ filius rêgis a ceteris se removerat, et subito conspexit magnum cervum, quem voluit ictu sclopeti ferire, sed collineans ab eo iterum iterumque aberrabat. Denique cervus ante iuvenem tam diu aufugerat, usque dum silvam relinqueret. Subito ante eum loco cervi stetit magnus vir longus, qui iuveni dixit: *»Heus, bene est, quod te nunc habeo; nam te persequens quamvis iam sex paria patinorum vitreorum detriverim, tamen non comprehendere potui.«* Tum vir iuvenem secum abducens traxit per magnam aquam usque ad magnum castellum regium. Ibidem filius rêgis iussus est a viro ad mensam considerare et aliquid cenare. Cum unâ cenavissent, rex: *»Mihi sunt«* inquit, *»tres filiae, apud maximam natu debebis per unam noctem vigilare, a vespertinâ horâ nonâ usque ad matutinam sextam, et quodcumque campana sonuerit, ipse veniam et te vocabo; nisi tum mihi responderis, cras occidêris; at si responderis, illa tibi nubet«*. Cum iuvenes cubiculum intravissent, ibidem stetit Christophorus lapideus. Tum filia rêgis ei dixit: *»Horâ nonâ veniet pater meus, et omni horâ sequenti, usque dum indicetur hora tertia; si rogabit, tu responde loco filii rêgis«*. Deinde Christophorus lapideus capite annuit perquam celeriter, deinde paululo etiam etiamque lentius, usque dum in fine constitit immotus. Postridie mâne rex: *»Rem tuam«* inquit, *»bene fecisti, sed filiam meam nondum tibi dare possum. Necesse est te alteram noctem vigilare idque apud alteram filiam, deinde iterum deliberabo, num liceat tibi filiam meam maximam natu in matrimonium*

ducere. Sed omni horâ revertar, et si te vocavero, sed tu non respondebis, oportebit sanguis tuus effluat mihi.« Deinde ambo ad cubiculum ierunt, ibique stetit Christophorus lapideus etiam maior, cui dixit filia rēgis: »Si pater meus rogaverit, responde!« Tum magnus Christophorus lapideus capite celeriter annuit, deinde etiam etiamque lentius, usque dum denique stetit immotus. Filius autem rēgis limini ianuae incubuit, capiti manum supposuit, obdormivit. Postridie mâne rex: »Rem tuam« inquit, »bene fecisti, sed filiam meam tibi dare



etiam nondum possum. Nam etiam apud filiam minimam oportet vigiles per unam noctem. Deliberabo, num liceat tibi filiam meam secundam in matrimonium ducere, sed omni horâ ipse veniam ad te; et si te vocavero, sed tu non respondebis, sanguis tuus mihi effluat«. Deinde unâ in cubiculum suum ierunt. Ibidem infuit Christophorus etiam maior etiamque longior. Filia rēgis ei dixit: »si pater meus vocaverit, responde!« Christophorus magnus, longus, lapideus circiter per semihoram annuit, usquedum constitit immotus. Filius rēgis limini ianuae incubuit et obdormivit.

Postridie mâne rex: *»Bene«* inquit, *»vigilasti, sed filiam meam nondum tibi dare possum. Habeo magnam silvam, cuius arbores debebis caedere a hodiernâ horâ sextâ matutinâ usque ad sextam vespertinam«*. Deinde iuveni ad hoc faciendum dedit asciam vitream et vitreum cuneum et vitream dolabram lignariam. Cum silvam adiisset, semel asciam ligno impegit, tum eadem diffracta est; deinde dolabrâ impegit cuneum, tum îdem tam brevis et parvus fuit quam lapillus. Iuvenis autem valdê contristatus est, quia putavit sibi nunc moriendum esse, itaque consedit et coepit lacrimare. Meridie rex dixit: *»Una ex vobis, puellae, debet illi aliquid afferre comedendum«*. - Tum ambo puellae natu maiores: *»Non«* inquit, *»afferemus. Nihil illi afferre volumus comedendum. Illa, apud quam iuvenis nocte proximâ vigilavit, ei aliquid afferre potest.«* Nunc minima natu non potuit, quin abiret iuveni aliquid allatura comesum. Silvam ingressa illum rogavit, ut valeret? Se male valere, ille dixit. Tum puella dixit, ut ille adveniret et aliquid comederet. *»Non«* ille inquit, *»non possum, nam moriturus sum, itaque non iam volo comedere«*. Puella illum multimodis cohortabatur, ut conaretur comedere. Tandem iuvenis vênit et comêdit. Cum iuvenis paululum comedisset, puella dixit: *»Ut dolorem obliviscaris, primum volo te aliquatenus permulcere«*. Iuvenis, cum permulcebatur, fatigatus obdormivit. Deinde puella pannum sumpsit, nodavit, nodoque ter terrae impulso dixit: *»Exite, opifices!«* Tum mox multi, multi virunculi terrestres egressi filiamque rêgis rogaverunt, quid sibi mandaret.

Puella: *»Spatio«* inquit, *»trium horarum omnes arbores silvae decîdendae sunt et strues lignorum sunt faciendae!«* Deinde autem virunculi terrestres circumierunt et omnes agnatos et cognotos secum adduxerunt, ut iidem sibi laborantibus adessent. Statim coeperunt laborare et tribus horis transactis faciendum perfecerunt. Tum venierunt ad filiam rêgis eique dixerunt se perfecisse. Puella autem panno albo sumpto dixit *»Opifices, domum ite!«* Et deinde omnes statim abierunt.

Filio rêgis expergefactus summê gavisus est; puella autem: *»Sextam horam«* inquit, *»si audiveris indicatam, reveni domum!«* Hoc praeceptum secutus est, et rex quaesivit: *»Silvamne decîdisti?«* - *»Decîdi«* dixit filius rêgis. Cum ad mensam sederent, rex: *»Nondum«* inquit, *»filiam meam tibi dare possum in matrimonium ducendam; adhuc tibi pro eâ aliquid*

faciendum est». Filius rēgis interrogavit, quidnam restaret sibi faciendum. Tum rex: »*Possideo*« inquit, »*magnum vivarium. Idem oportet cras adire et a limo purgare, ut fiat speculo nitidius, et oportet remaneant pisces quam plurimi*«. Postridie mātne rex ei dedit vatillum vitreum et dixit: »*Oportet sextâ horâ vivarium sit perfectê purgatum*«. Tum abiit, et cum ad vivarium pervenisset, vatillum infixit uligini, et idem abruptum est. Dolabram cum imegisset, eadem diffracta est. Tum denuo perquam contristatus est. Meridie filia ei attulit prandium, eumque rogavit, quomodo se haberet. Tum filius rēgis dixit se male valere, nam mox caput suum amputatum iri. Tum puella: »*Oh*« inquit, »*veni huc et aliquid comede, ut dolorem tuum obliviscaris*«.

Ille dixit se non comesurum esse, nam tristior esset quam ut hoc faceret. Sed denuo puella eum adhortata est, usque dum iuvenis ad se veniret et aliquid comederet. Et denuo eum permulsit, ut obdormisceret. Deinde pannum sumpsit, nodavit, nodoque ter impulit terram et dixit: »*Exite, opifices!*« Tum statim multi, permulti virunculi terrestres venirent et omnes rogaverunt, quid vellet. Puella iis dixit. Tum virunculi arcessiverunt cognatos suos agnosque, ut sibi adessent. Post duas horas omnia perfecta erant. Virunculi redierunt ad filiam rēgis et dixerunt: »*Fecimus, quod tu nobis mandaveras*«. Tum filia rēgis pannum sumpsit et ter eâdem impulit terram et dixit: »*Opifices, redite domum!*« Tum omnes abierunt.

Cum filius rēgis expergisceretur, vivarium erat limo purgatum. Nunc etiam filia rēgis abiit et dixit, si sexta hora indicata esset, ut ille domum veniret. Cum domum venisset, rex ex eo quaesivit: »*Iamne vivarium purgasti?*« - »*Purgavi*« dixit filius rēgis. Cum ad mensam sederent, rex dixit: »*Purgasti quidem vivarium, sed filiam meam tibi dare nondum possum in matrimonium ducendam, nam aliquid restat tibi faciendum*«. - »*Quidnam?*« filius rēgis interrogavit. Tum rex dixit sibi esse magnum montem, cui inessent multae vepres, qui omnes essent absçidendi. Et in summo monte ei esse castellum magnum aedificandum, quod oporteret esse pulchrius, quam ut ab homine posset animo fingi, et omnia instrumenta domestica ceteraque, quae spectarent ad castellum, iuveni esse inferenda.

Postridie mâne cum surrexisset, rex ei profecturo dedit asciam vitream et terebram vitro confectam. Rex dixit oportere, ut iuvenis haec opera finiret horâ sextâ. Primo vepre inciso ascia diffracta est. Tum denuo prorsus erat contristatus et exspectavit amatissimam suam, num veniret se servatura in necessitatem adductum. Versus meridiem puella etiam vênit et iuveni aliquid attulit comesum. Tum îdem puellae obvênit eique omnia narravit et aliquid comêdit; deinde a puellâ permulsus obdormivit.

Tum denuo nodum sumpsit, quem impulit terrae, et dixit: *»Opifices, exite!«* Denuo venerunt virunculi terrestres et rogaverunt, quid cuperet. Illa: *»Spatio«* inquit, *»inquit, omnes vepres a vobis sunt absçidendi, et supra in monte oportet castellum aedificetis, quod fiat pulcherrimum omnium quae sunt«*. Nunc virunculi terrestres illuc ierunt omnes cognatos agnatosque secum adducentes, ut sibi adessent. Spatio temporis transacto omnia erant perfecta. Tum virunculi ad filiam rēgis venientes hoc dixerunt. Filia autem rēgis pannum sumpsit, eoque ter terram impellens dixit: *»Opifices, abite domum!«* Tum omnes statim abierunt, et cum filius rēgis expergefactus omnia videret, tam laetus erat quam avis in aëre volans.



Horâ autem sextâ indicatâ unâ domum ierunt, et rex quaesivit: *»Estne castellum iam perfectum?»* - *»Perfectumst«* dixit filius rēgis. Cum sederent ad mensam, rex: *»Filiam meam minimam«* inquit, *»dare non potero, antequam nupserint duae natu maiores«*. Tum filius et filia rēgis erant valdê contristati, et filius rēgis non iam scivit ullum remedium. Tenebris obortis îdem cum filiâ rēgis properê abiit. Cum paulisper iam properavissent, filia rēgis semel se convertit et conspexit patrem se sequentem. Filia: *»Oh«* inquit, *»quid faciamus? Pater meus nos sequitur et assequetur. Te permutabo in veprem meque in rosam. Et medio in vepre certê ero segura«*. Pater locum assecutus, quo filius filiaque steterant, stetit ibi vepres et in eius medio fuit rosa. Rex rosam voluit decerpere, sed digitus patris spinâ est punctus, ut îdem non posset, quin domum rediret. Tum uxor ex eo quaesivit, quare illos non secum adduxisset? Tum rex dixit se nihil vidisse nisi veprem et rosam. Tum regina: *»Si quidem«* inquit, *»rosam decerpisses, vepres certe unâ cum rosâ huc venisset«*. Tum rex iterum profectus est rosam allaturus. Sed filius filiaque iam procul abierant per campum et rex semper eos sequebatur. Tum filia iterum conversa patrem conspexit. Tum dixit: *»Oh, quid nunc faciamus? Te permutabo in ecclesiam meque in parochum. Tum stabo ad pulpitem homiliamque habebo«*. Cum autem rex illum locum assequeretur, ubi ambo fuerant, ibidem stetit ecclesia, et ad pulpitem stabat parochus et homiliam habebat.



Rex homiliam audivit et domum iit et omnia narravit uxori. Eadem autem: *»Utinam«* inquit, *»tecum adduxisses parochum, ecclesia ultro huc venisset. Ah non prodest te mittere. Non possum quin ipsa abeam«*.

Cum aliquamdiu migravisset, e procul ambos illos conspexit, filia rēgis se convertit et: *»Vae nobis«* inquit, *»nunc venit mater mea ipsa. Te in vivarium permutabo meque in piscem«*. Mater cum locum assecuta esset, conspexit ibidem magnum vivarium, in cuius medio piscis circumsiluit et caput ex aquâ protendens perquam laetê natabat. Tum mater perquam indignata totum vivarium ebibit, ut piscem caperet. At hōc facto tam vehementer nauseavit, ut totam aquam evomeret. Dixit autem: *»Video hīc nullum mihi restare remedium!«* Regina autem filiae dedit tres iuglandes et dixit: *»His iuglandibus auxilium accipies in summâ necessitate versans«*. His dictis iuvenes unâ abierunt. Postquam iam per decem horas migraverunt, pervenerunt ad castellum, in quo filius rēgis natus erat, et prope idem erat vicus. Cum ibidem advenirent, filius rēgis: *»Manê hīc«* inquit, *»carissima mea, primum adibo castellum, et deinde cum curru et ministris reveniam te mecum abducturus«*. Cum castellum intraret, omnes summê gavisī sunt, quod filium suum rēgis denuo habuerunt, et idem narravit sibi esse sponsam, quae nunc esset in vico; ut secum currûs eo veherentur et illam arcesserent. Tum equi curru adiunxerunt, et multi ministri in curru consederunt. Cum nunc filius rēgis currum ascendere vellet, mater ei osculum dedit, quo omnia oblītus est, quae facta erant et ea quae facere debuerat. Tum mater iis mandavit, ut equos deiungerent, et omnes domum reverterent. Puella autem sedet in vico et exspectat impatienter et putat illum venturum esse, ut se abduceret, sed nemo vênit. Tum filia rēgis inquilina fit molendini, quae spectat ad castellum. Ibidem cottidie post meridiem ei sedenti erant vasa purganda. Aliquando regina ex castello vênit ad aquam ambulatum. Quae cum puellam sedentem conspiceret: *»Quae«* inquit, *»haec est puella fortis? Haec mihi placet!«* Tum omnes illam aspexerunt, sed nemo recognovit.


Longum spatium temporis nunc transactum est, quo puella molinario ministravit probê et fideliter. Interim regina mulierem quaesivit filio suo nupturam, quae venerat ex regione remotissimâ. Cum sponsa advenisset, statim voluerunt connubium facere. Quia permulti homines confluerunt visuri, puella molinarium rogavit, ut sibi permitteretur in ecclesiam ire.

Molinarius dixit: »*Licet eas*«. Sed antequam abiit, aperuit unam ex tribus iuglandibus; cui imposita erat pulchra vestis. Quâ indutâ puella iit in ecclesiam et ad altare accessit quam proximê. Subito venerunt sponsa atque sponsus, et consederunt ante altare; et cum parochus eos voluit benedicere, sponsa conspexit puellam seorsim stantem. Statim resurrexit et dicit se non iam venturam esse in matrimonium ducendam, antequam acciperet vestem tam pulchram quam illam dominae. Tum domum abierunt et famulum iusserunt rogare dominam, num vestem venditura esset. Tum respondit puella, se non vendituram esse vestem, sed sponsam posse merêre eam. Tum quaesiverunt ex puellâ, quidnam sentiret his verbis. Eadem autem dixit, si sibi nocte ante ianuam filii rēgis liceret dormire, se libenter tradituram esse vestem sponsae. Sponsa autem dixit »*Licet!*« et ministri iussi sunt filio rēgis conficere potionem dormitivam, et puella decubuit ante ianuam et flebat et narrabat per totam noctem: se debuisse pro eo totam silvam decîdere, totum vivarium a limo purgandum, necnon sibi curandum fuisse, ut castellum aedificaretur. Deinde se eum permutasse in veprem, deinde in ecclesiam, ultimo in vivarium; at eum se tam celeriter oblîtum esse. Puellae autem verba filius rēgis omnino non audivit, tantummodo ministri expergefacti omnia audiverant, sed nesciverunt, quid hoc sibi vellet.

Postridie mâne, cum surrexissent, sponsa vestem induit et cum sponso vecta est ad ecclesiam. Interim puella aperuit alteram iuglandem, et ei imposita erat vestis etiam pulchrior. Quâ indutâ iit in ecclesiam et accessit ad altare quam proximê; et omnia ipso eodem modo facta sunt quo erant primo: puella decubuit ante ianuam conclavis filii rēgis, cuius ministri denuo iussi sunt ei dare potionem dormitivam. Sed potio filii rēgis non continuit medicamentum dormitivum, ut in lecto se collocavit vigilans. Ancilla molinarii iterum lacrimans narravit, quae omnia fecisset.

His omnibus auditis filius rēgis vehementer contristatus subito omnia recordatus est, quae facta erant. Tum voluit illam adire, sed mater ianuam clauserat. Postridie mâne statim ad amatam suam iit eique narravit omnia, quae sibi accidissent, et rogavit eam, ne indignaretur, quod eam in tantum temporis oblîtus esset. Tum filia rēgis aperuit tertiam iuglandem, cui imposita erat vestis omnium pulcherrima, quam umquam potest animo fingi. Quâ indutâ unâ cum sponso vecta est in ecclesiam; tum advenerunt

multi parvuli, qui iis dederunt flores et taenias ad pedes posuerunt versicolores, et se siverunt benedici, et nuptias egerunt laetissimas; sed matri falsae et sponsae abeundum fuit. Is autem, qui haec nuperrimê narravit, eius ôs adhuc est calidum.



A.1920 pinxit Eleonora Abbott.

* * * * *

FABELLAM GRIMMIANAM
C.T. *De beiden Künigeskinner*
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS

114. DE VESTIFICULO PRUDENTE



Aliquando fuit principissa ingentis superbiae; quae, quaecumque veniebat petitor nuptiarum, eidem aliquid proponebat divinandum, et si iuvenis divinare nesciverat, dimittebatur irrisus. Haec puella nobilis curavit enuntiandum, quilibet vir adveniret, si rem divinavisset, se eidem nupturam esse. Denique tres vestifices sunt congregati, quorum duo natu maiores senserunt se, quâ essent artis suae suendi peritiâ, iam multa bona et decora consuissent, ideoque dubium non esset, quin etiam hac in re victoriam essent parituri; tertius autem nemo fuit nisi inutilis iuvenulus temerarius, qui, quamvis artem suam parum calleret, sensit fortem

Fortunam adiuturam esse. Tum duo alii hunc iuvenulum sic allocuti sunt: „*Tu quidem domi manê, nam, quâ es ingenii parvitate, non longê progredieris.*” At vestificulus affirmavit se hanc rem, cum sibi inculcasset, certê assequi posse, et profectus est summâ cum confidentiâ sui.

Tum omnes tres vestifices apud principissam nomina sua dederunt tentamini participando: nunc advenisse viros aptos, qui essent ingenio subtili, quo scirent semper res acu tangere.

Tum principissa: „*Capilli*” inquit, „*in capite mihi sunt duorum generum - quibus iidem sunt coloribus?*” Primus vestifex: „*Si res est tantula*” inquit, „*certê sunt colores niger et albus, tamquam carvum et sal*”. At principissa: „*Falso*” inquit „*divinasti. Respondeat vir alter.*” Deinde dixit alter: „*Nisi colores niger et albus, sunt fuscus et ruber, quibus est patris mei vestis sollemnis.*” At principissa: „*Falso*” inquit, „*divinasti. Respondeat tertius, quo aspecto scio eum certê scire divinandum.*” Tum vestificulus processit et dixit: „*Principissa in capite habet capillum argenteum et aureum, et hi sunt colores duo.*” His auditis principissa expalluit, et terrore paene decidit, nam vestificulus rem acu tetigerat, quamquam ipsa putaverat nullum in mundo hominem hoc divinaturum esse. Cum resipisset: „*Re divinâtâ*” inquit „*me nondum accepisti, nam unum tibi restat faciendum; infra in stabulo iacet ursus, apud istum debebis pernoctare; si cras surrexero et videro te adhuc vivere, licebit tibi me in matrimonium ducere.*” Principissa autem hac re postulandâ voluit a vestificulo defungi; nam ursus usque nunc neminem umquam vivum reliquerat, in quem brancis suis invectus erat. At vestificulus minimê deterritus, sed prorsus gaudens: „*Etiam hoc*” inquit „*perficiam*”.

Cum advesperasceret, vestificulus adductus est ad ursum; ursus autem erat statim in eum invecturus, ut medullitus salutaret brancâ suâ. Tum vestificulus: „*Lenius*” inquit, „*agas lenius; ego faciam ut quiescas*”. Deinde perquam lentê, quasi nullo modo sollicitaretur, iuglandes ex sacculo exêmit, morsu aperuit nucleosque comêdit. Cum autem ursus hoc videret, ipse cupivit comedere iuglandes. Vestificulus autem manu sacculo inditâ urso porrexit volam; sed non erat vola nucum, sed lapidum. Quos ursus ori indidit, sed mordendo nullum potuit aperire, quantopere mordebat. „*Vae*

mih!" cogitavit, „Quam stultus truncus sum! Ne nuces quidem scio mordendo aperire," et dixit vestificulo: „Admordeas, quaeso, nuces, ut aperiantur." Tum vestificulus: „Tunc" inquit, „quam ineptus es? Quamquam tanto rostro es, nescis admordere tantulam nucem." Deinde vir lapidibus sumptis celeriter eorum loco iuglandem ori indidit et crepitu facto nux diffracta est. Tum ursus: „Hoc" inquit, „iterum conabor. Cum modo aspexerim, puto nunc fieri posse, ut mihi ipsi contingat." Tum vestificulus ei iterum dedit lapides, et ursus summis viribus momordit: Sed facile fingas animo, eum lapides non aperuisse. His factis vestificulus violinam exêmit vesti suppositam et cantilenam cecinit. Hanc audiens ursus non potuit, quin saltaret, et cum paulisper saltasset, hoc ei tam bene placuit, ut vestificulum rogaret: „Audi, estne difficile fidibus canere?" „Nequaquam, vide, manu sinistrâ digitos impono, dextrâ arcum huc illuc perstringere, hoc sonat hilariter, hopsasa, vivallalera!" Tum ursus: „Visne me docere? Ego quoque velim tam bene fidibus canere, ut saltare possim quandocumque cupio". Deinde vestificulus: „Libentissimê" inquit, „te docebo, si discere vis: At primo monstra mihi brancas tuas, quae sunt tantae longitudinis, ut ungues sint paullulo recidendi."



Tum allatum est retinaculum cochlearum, et urso brancae sunt imponendae, vestificulus easdem cochleis vertendis affixit et: „Nunc” inquit, „*exspecta, dum afferam resectorium*”, nullo modo curavit fremitum ursi impatientis, incubuit fasci stramenti, quod erat in angulo positum, et obdormivit.

Principissa autem, cum vespere ursum audiret tam vehementer frementem, putavit eundem fremere gaudio elatum, et vestificem efflasse iam animam suam. Mâne ea surrexit quietê hilariterque; at stabulo aspecto animadvertit vestificulum perquam vegetum ante idem stare et esse vivacissimum. Nunc principissae non iam licuit contradicere, quia standum erat promisso publico. Itaque rex curavit currum arcessendum, quo filiae unâ cum vestificulo vehendum erat ad ecclesiam, ut connubio coniungerentur. Sponsa sponsusque cum inscendissent, ambo vestifices alii, qui malevoli vestificulo fortunato inviderent, in stabulum inierunt, et cochleis retinaculi solutis ursum liberaverunt; qui nunc irâ incensissimus currum rapidissimê persecutus est. Principissa autem cum audiret illum frementem, timore correpta: „*Vae nobis*” inquit, „*ursus nos persequitur te capturus.*” At vestificulus, sine mora, corpus suum invertit et crura ex fenestra protendens vocavit: „*Viden' retinaculum? Nisi abieris, iterum te cochleis affigam.*” Hôc conspecto ursus se convertit et aufugit. Sed vestificulus noster quietê vectus est in ecclesiam, et cum principissâ est connubio coniunctus et unâ cum eâ vitam degit laetam et tam hilarem quam alauda in ericeto cantans. Qui hoc non credit, is debet solvere thalerum.

FINIS

115. SOLE CLARO REM PATEFACTUM IRI



Vestifex socius per mundum iter faciebat artem suam exercens; at aliquando cum nullum munus inveniret suscipiendum, tam pauper fuit, ut ne unum quidem teruncium haberet ad cibos emendos. Tum in viâ cum incideret in Iudaeum, cogitans eum habere secum multum pecuniae, Deum ex animo expulit et cupidê in illum invectus: „Da mihi” inquit „pecuniam tuam aut morere!” - Tum Iudaeus: „Parce, obsecro” inquit „vitae meae, nam vix ullam habeo pecuniam, non plus quam octo teruncios.” At vestifex: „Tu quidem” inquit „habes pecuniam, quam debes mihi dare!” magnâ cum violentiâ Iudaeum tam diu mulcavit, dum is interiret. Tum vestifex socius Iudaei sacculos arreptos perquisivit, sed nihil invênit nisi octo illos teruncios, quos sibi esse ille dixerat. Tum corpus Iudaei sublatum abdidit post fruticem, et profectus est artem suam exerciturus.

Longo itinere facto iuvenis in quadam urbe munus ab vestifice magistro oblatum suscepit. Cum in amorem incidisset magistri filiae pulchrae, eam in matrimonium duxit et maritus vixit hilariter.

Iam binis liberis natis socer atque socrus vestificis mortui sunt, ut par coniugum iuvenum domum haberent integram. Aliquo mâne maritus, cum cafeam ab uxore sibi ad mensam ante fenestram sedenti allatam in

pocillum infunderet sorbillaturus, subito sol eandem irradians supra in pariete huc illuc coruscans figuras lucis formabat circulares. Tum vestifex suspiciens: „En vide" inquit, „solem, qui vult rem patefacere nec potest!" Uxor autem obstupefacta: „Heus, care marite, quidnam est hoc? Quid sentis his verbis?" Vestifex autem respondit: „Hoc mihi non licet tibi dicere." At uxor: „Si me amas" inquit, „debes mihi hanc rem patefacere" maritoque iterum iterumque pollicita se ne ullo quidem umquam homini rem prodituram esse, non desinebat vestificem urgere, ut tandem panderet rem secretam. Tum is narravit se multis annis ante iter facientem miserrimum atque pauperrimum occidisse aliquem Iudaeum, et illum summo metu mortis correptum verba dixisse: „Sol lucidus istam rem patefaciet!" Nunc sol libenter voluit rem patefacere et in pariete coruscare et circulos fecisset, sed non potuit. Deinde vestifex uxorem urgenter oravit, ne cui proderet hanc rem, alioquin se moriturum esse: quod illa pollicita est; sed vestifex cum consedisset laborem exanclaturus, uxor iit ad amicam quandam eique rem enarravit sub eâ condicione, ne illa eandem ulli homini proderet; at tribus diebus nondum transactis tota iam urbs rem acceperat, et de vestifice in ius vocato sumptum est supplicium. Sic tamen factum est, ut sol clarus rem patefaceret.

FINIS

116. DE LUCE CAERULEA



Aliquando rēgi fuit miles, qui ei per multos annos fideliter servierat, sed quia factus erat senex inutilis, non iam placuit; tum rex militem dimisit sine ullâ mercede. Miles autem nescivit, quonam modo victum sibi compararet, tristis fuit, per totum diem migravit, vespere vênit in silvam. Paulisper cum per silvam migrasset, subito conspexit lucem, cui appropinquavit et vênit ad domunculam, quam vetula sagana inhabitabat. Miles eam rogavit, ut sibi permitteret in domunculâ pernoctare et aliquantulum comedere atque bibere; sagana autem hoc primum recusavit; sed tandem eadem: „*Misericors*” inquit, „*ut sum, te recipiam, sed cras debebis mihi pâla fodere totum hortum meum.*” Tum militi id pollicito permissum est, ut apud saganam pernoctaret. Postridie îdem saganæ palâ fodit hortum; quam operam finivit vespere. Nunc ea militem voluit amittere, sed is: „*Fatigatissimus*” inquit, „*cum sim, rogo te, ut sinas me per alteram noctem hîc manere.*” Sagana autem noluit, sed tandem concessit, dummodo miles postridie vehem ligni diffinderet in taxillos. Miles autem altero die lignum diffidit et vespere iterum defatigatior erat quam ut abiret, ergo rogavit, ut etiam maneret nocte tertiâ; sed pro hac

pernoctatione tertiâ debuit postridie ex puteo afferre lucem caeruleam. Tum sagana militem ad quendam puteum duxit eumque longo fune alligavit, quo in puteum demisit; et cum miles infra advenisset, invênit lucem caeruleam, et significavit, ut sagana se sursum retraheret. Quae eum sursum retraxit, sed cum marginem assequeretur tam propinquam, ut saganae manum posset porrigere, ea voluit lucem caeruleam habere, sed eâdem acceptâ militem depellere. At is cum saganae cogitata animadverteret malevola, dixit: „*Nequaquam! Lucem tibo non dabo caeruleam, antequam pedibus humi resistam.*”



Tum sagana irata virum cum luce depulit in puteum et abiit. Miles autem infra sedens in obscurâ uliginâ vidit finem vitae suae imminere, sed eius manui incidit fumisugium, quod cum esset adhuc semiplenum, vir cogitavit: „*Huius fumisugii tabacum reliquum utinam mihi sit voluptati quamvis ultimae.*” Itaque tabacum accendit luce caeruleâ et coepit fumare. Cum fumus aliquantum circumvolabat, subito advênit virunculus niger et rogavit: „*Domine, quid mihi imperas?*” - Tum miles: „*Quid a me*” inquit, „*tibi imperandumst?*” Virunculus autem dixit: „*Debeo tibi servire in omnibus rebus.*” - „*Imprimis impero, ut adjuves me ex puteo escensurum*”

Tum virunculus niger militi dextram porrexit eumque sursum duxit et lucem caeruleam secum abstulerunt. Cum supra essent, miles: „Nunc” inquit „occîdas mihi saganam vetulam.” Hôc facto virunculus militi patefecit thesauros necnon aurum saganæ, quæ miles umeris imposita secum abstulit. Deinde virunculus: „Si” inquit „me egebis, accendas fumisugium tuum luce caeruleâ.” - Tum miles in urbem iit, ut habitaret in deversorio optimo ibique vestimenta curavit pulchra sibi conficienda et conclave magnificê sibi instruendum. His rebus confectis virunculum arcessivit et: „Rex” inquit „me amissum sivit esurire munere perdito; nunc hodie vespere huc adduc mihi filiam rêgis, ut more ancillæ mihi ministret et faciat quaecumque ego facere iubebo.” - His auditis virunculus: „Haec est res periculosa.”

Sed illuc iit filiamque rêgis dormientem ex lecto eximens attulit militi; cui principissa rêgis debuit oboedire et facere quaecumque miles postulaverat; mâne autem ante clamorem galli virunculus niger eam reportavit.

Filia rêgis cum surrexisset, patri narravit: „Hac nocte mira somniavi: mihi enim visa sum abducta fuisse ancilla cuiusdam militis, cui deberem ministrare, conclave scôpis everrere, caligas purgare.” - Tum rex: „Pisa infunde sacco tuo eumque perfora: si somnium verum fuerit, pisa excident et vestigium tui efficient in viâ stratâ.”

Ita factum est ab eâ, sed virunculus audiverat, quid rex filiae suasisset. Cum advesperasceret et miles virunculum iuberet iterum adducere filiam rêgis, is omnes vias urbis antea maiore copiâ pisorum complevit, quam ut pauca pisa ex sacco principissæ decidentia efficerent vestigium et postridie homines per totum diem pisa colligerent. Filia rêgis iterum patri narravit, quæ sibi accidissent; tum rex: „In lecto si te collocabis, alterum calceum ne exuas eumque clam abdas in illum locum, quo portaberis.” - His auditis virunculus niger militi denuo filiam rêgis arcessendam cupienti dixit haec: „Nunc te non iam adiuvere possum: infelix eris re patefactâ.” At miles perseveravit rem postulare. Tum respondit virunculus: „Mâne primâ luce fac aufugiâs per portam, ubi primum illam abstulero.”

Filia rêgis alterum calceum non exuit et apud militem sub lecto occultavit; postridie mâne, cum ad patrem esset reportata, is curavit, ut calceus ubique in urbe quaereretur, et nunc inventus est in mansione

militis. Qui iam fugâ salutem petiverat, sed mox est captus et in carcerem coniectus. Ibidem nunc consêdit catenis vinctus; fugiens quam festinantissimê reliquerat optimas suas rescellulas¹, i.e. aurum lucemque caeruleam, neque quid relictum ei erat nisi nummus ducatus². Cum stabat pertristis ad fenestram carceris sui, subito conspexit sodalem; quem allocutus: „Si mihi“ inquit „illum fasciculum apportaveris, quem relîqui in cauponâ positum, tibi dabo nummum ducatum.“ Tum sodalis iit in cauponam et militi ducati pretio reportavit aurum lucemque caeruleam.

Captivus autem mox fumisugio accenso arcessivit virunculum nigrum; qui dixit: „Noli timere, i ad iudicium intrepidus, et sine omnia fieri, sed tecum aufer lucem caeruleam.“ Deinde interrogatus est eique, quamvis nil mali fecisset, dicta est sententia capitalis, ut laqueo suspenderetur. Cum educeretur, a rêge petivit veniam. „Quam veniam?“ rex interrogavit. „Permittas, precor, ut iter faciens fumem fumisugium.“ „Liceat tibi“ rex respondit, „fumare tria fumisugia, si vis, sed noli putare tibi a me vitam donatum iri“. Tum fumisugium e sacculo exemptum flammulâ caeruleâ accendit, ut mox accedat virunculus niger, cui miles dixit: „Rogo, ut occîdas istos iudices falsos eorumque adlatos necnon regem disseca in tres partes.“ Ergo virunculus coepit homines circumcirca stantes occîdere; tum rex non potuit, quin obsecraret, ut sibi venia daretur, et ut vitam servaret sibi propriam, militi dedit regnum necnon filiam suam in matrimonium ducendam.

FINIS

1 **rêscellula**, -ae f.: <https://uepo.de/2023/02/16/rescellula-groesstes-lateinwoerterbuch-der-welt-kuert-erstmal-lateinisches-wort-des-jahres/>: ...“Bei *rescellula* handelt es sich um eine seltene, doppelte Verkleinerungsform – ein Deminutiv eines Deminutivs – des Universalworts *res* („Sache, Ding“) und kann wörtlich als „Sâchelchen“, „kleines Dinglein“ o. ä. wiedergegeben werden“.

2 **ducâtus**, -î m. *i.q. nummus quidam*, orig. *Dukaten*. cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/ducatus>: „4. **DUCATUS**, appellata primum Moneta Ducatus Apuliæ, cusa a Rogerio Rege Siciliæ ann. 1240. Falco Beneventan.: Monetam suam introduxit, unam vero, cui Ducatus nomen imposuit. Occurrit in Chartis ann. 1181. 1186. apud Ughellum tom. 4. pag. 227. et tom. 8. pag. 98. 106. **Ducatus**, Monetæ Veneticæ aureæ species,..“

117. DE INFANTE CONTUMACI¹

Aliquando infans fuit contumax neque ea facit quae mater voluit fieri. Itaque infans Caro Deo non placuit; qui curavit, ut îdem in morbum incideret et a nullo medico posset sanari, et brevi prosterneretur in lectulo mortuario. Cum infans in sepulchrum esset demissus et humo esset obtectus, subito eius bracchiolum ex humo resurrexit, et sursum erectum est, et quodcumque bracchiolum deorsum reponebant et recenti humo obtegebant, hoc frustra faciebant, nam idem denuo resurgebat. Denique necesse fuit matrem ipsam sepulchrum accedere et bracchiolum ferulâ caedere, et caesum deorsum retractum est, ut infans sub terrâ stratus nunc demum quiesceret.

**EXPLICIT FABELLA
QUAE A FRATRIBUS GRIMMIIS
NARRATUR
DE INFANTE CONTUMACI**

titulus originalis:

Das eigensinnige Kind

¹ Interpres confitetur argumentum istius fabellae funestum sibi displicere seque non putare eandem esse dignam, quae infantibus recitetur vel narretur. Tamen hîc loco eandem attulit, ut esset testimonio paedagogiae illius aetatis, quâ narrata et litteris mandata est. Iudicet lector ipse.

118. DE TRIBUS MEDICASTRIS CAMPESTRIBUS



Tres medicastri campestris² iter per mundum faciebant, se artem suam perdidicisse opinati venerunt in cauponam, ubi pernoctarent. Caupo ex iis quaesivit, unde venissent et quo ire vellent. Se per mundum iter facere artem suam exercentes. Tum caupo: „Monstrate mihi” inquit, „quid sciatis facere”. Tum primus dixit se velle manum suam amputare et cras bene mâne arte suâ efficere, ut manus ad bracchium truncatum apposita accresceret; alter medicaster dixit se velle cor suum evellere et cras

² +**medicaster campestris** orig. *Feldscherer*, i.q. nomen obsoletum subadiuvae medicinalis, qui amputabat membra militum in proelio vulneratorum („*Feld*“, i.q. campus, spectat ad campum proelii, „*scheren*“, i.q. secare). Sensu latiore **medicaster** est medicus ineptus aut parum peritus aut fraudulentus, cfr **Achatius Morbachius** medicinae candidatus: Dialogus festivus, in quo **medicaster** quidam a Philosopho de malâ medendi ratione coram Praetore postulatur multiplicibusque erroribus convincitur. Norimbergae a.1525.

bene mâne arte suâ curare, ut cor repositum revivisceret; *tertius* medicaster dixit se velle oculos suos effodere et cras bene mâne arte suâ efficere, ut repositi resanescerent. Medicastrum autem habuerunt unguentum, quo allito quaecumque dissecta consanescebant, et laguncula, cui hoc inerat, semper secum ferebant.

Tum manum et cor et oculos e corporibus suis secuerunt, ut dixerant, easque partes corporis unâ posuerunt in catino, quem dederunt cauponi; caupo dedit eundem puellae, quae catinum in armario poneret et bene servaret. At puellae erat amasius clandestinus, qui erat miles; cum caupo et tres medicastrum campestres omnesque homines domi dormirent, vênit miles esuriens. Deinde puella armarium aperuit, aliquem cibum exêmit illique attulit, sed armarium non clausit; consedit ad mensam iuxta amasium suum, ut inter se colloquerentur. Cum puella hilariter cum iuvene amato garriebat nullius mali conscia, catta clam irrepsit in culinam, invênit armarium apertum, sumpsit manum et cor et oculos trium medicastrorum, et cum iis excurrit.

Cum miles cenavisset et puella vellet vasa escaria tollere et armarium claudere, vidit catinum, quem caupo sibi dederat servandum, vacuum esse. Tum territa dixit amasio: *„Eheu me miseram puellam! Manus est ablata, cor et oculi etiam absunt, vae mihi quid mihi accidet cras bene mâne!”* Tum miles amasius: *„Quiesce, nam ego te adiuvabo! Da mihi cultrum acrem; furis cuiusdam, qui pendet ex patibulo, manum desecabo; utra manuum fuit?”* - *„Dextra fuit.”* - Deinde puella ei dedit cultrum acrem, et amasius accessit patibulum, peccatoris illius miseri desecuit manum dextram et attulit. Deinde cattam corripuit eiusque oculos effodit; nunc nihil iam defuit nisi cor. *„Nonne mactavistis, ut in hypogeo sit vobis caro porcina?”* Tum puella: *„Mactavimus”*. - Miles autem: *„Hoc bene quadrat”*, descendit in hypogeum, attulit cor porcinum deditque puellae. Quae has partes tres posuit in catino, quem imposuit armario, et cum amasius valedixisset, in lecto se collocavit.

Mâne cum medicastrum surrexissent, puellae dixerunt, ut afferret sibi catinum illum, cui impositi essent manus et cor et oculi.

Tum puella catinum ex armario attulit, et primus sibi apposuit manum furtificam, ei allevit unguentum suum, ut mox accresceret. Alter medicaster sumpsit oculos cattinos et allevit, ut consanescerent;

tertius affixit cor porcinum. Caupo autem adstitit artem illorum admirans et dicens talia se numquam antea vidisse, se velle eos cuicumque homini praedicare atque commendare. Deinde medicastri pecuniam solverunt pro pernoctatione et profecti sunt.

At cum ambularent, is, qui erat corde porcino instructus, non manebat apud ceteros, sed, ubicumque erat angulus, eo currebat et ita odorabatur, ut faciunt porci. Ceteri volebant eum vestis margine arrepto retinere, sed hoc nihil proderat, ille se eripiebat et eo currebat, ubi iacebant quisquiliae sordidissimae.

Alter autem medicaster haud minus mirê se gerebat, oculos fricabat, et alteri dixit: *„Heus sodalis, quid est hoc? Hi oculi non sunt mei, nil prorsus video, ducat me aliquis, ne decidam“*.

Tum aegrê abierunt usque ad vesperum, quo venerunt ad alterum deversorium. Cum in cauponam intrarent, in angulo quodam sedebat dominus dives et nummos numerabat. Is medicaster, qui erat instructus manu furtificâ, aliquoties micabat, denique, cum dominus se convertisset, manum cumulo nummorum impegit et volam eorum exêmit. Hôc viso alter: *„Heus sodalis“*, inquit, *„quid facis? Non licet furari, pudeat te!“* - Tum ille: *„Heu mihi“* inquit *„hoc non fit meâ culpâ! Manus mea palpitat, non possum, quin pecuniam corripiam, sive volo sive nolo.“*

Postea cubitum ierunt, et cum cubarent, tenebrae fuerunt obscurissimae. Subito e somno excitatus est ille, qui fuit oculis cattinis, ceteros excitavit, et: *„O fratres“* inquit, *„suspicite - nonne videtis musculos albos, qui ibi circumcursitant?“* - Duo ceteri surrexerunt, sed nihil viderunt. Tum ille: *„Non rectê me habeo, nostra non recuperavimus, oportet redeamus ad cauponem, is nos fraudavit.“*

Ergo postridie mâne illuc profecti sunt et cauponi dixerunt se non recuperasse instrumenta sua recta, nam unum habere manum furtificam, alterum oculos cattinos, tertium habere cor porcinum. Deinde caupo dixit necessarium esse horum errorum culpam contractam esse a puellâ, et voluit illam vocare, sed puella cum illos venientes conspexisset, aufugerat per portulam posticam, nec umquam revertit. Tum tres medicastri postulaverunt, ut caupo sibi multum pecuniae daret, alioquin se curaturos esse, ut *gallus ruber super cauponam volaret*³; tum caupo iis dedit quae habuit, et invenire potuit, iisdemque acceptis medicastri profecti sunt.

³ Gallus ruber super caupōnam tuam volābit: i.e. accendemus cauponam tuam.

Quae iis suffecerunt ad reliquam vitam degendam; tamen medicastri maluerunt habere instrumenta sua vera.

FINIS

119. DE SEPTEM SUEBIS.



Aliquando congregati erant septem Suebi; primus fuit **Dominus Comarchus**, alter **Iacobellus**, tertius **Martinulus**, quartus **Georgiolus**, quintus **Michael**, sextus **Iohannulus**, septem **Vitulus**; qui cuncti septem sibi proposuerant, ut per mundum iter facerent, ut peterent pericula subeunda, ut magna facerent facinora.

Ut autem irent manu armatâ et satis securê, bonum sibi visum est curare, ut sibi fabricaretur veru unum tantum, sed satis firmum atque longum. Hoc veru omnes septem unâ comprehenderunt, primus iit Suebus audacissimus et fortissimus, qui fuit **Dominus Comarchus**, et deinde ordine secuti sunt ceteri, et ultimus fuit **Vitulus**.

Nunc factum est, ut *mense fenili* (i.e. Iulio) aliquo die iam longo spatio peragrato, tamen sat longo usque ad vicum restante, ubi pernoctaturi erant, subito in crepusculo in prato aut crabro aut magnus scarabaeus stercorarius haud longê a Suebis ex frutice post eos sito volans fremeret more hostili. Tum **Dominus Comarchus** tam vehementer territus est, ut paene veru ex manu amitteret et sudor timoris erumperetur ex eius corpore toto. „Audite, audite” sodalibus suis acclamavit, „O Deus, audio tympanam!” **Iacobellus** autem, qui post eum veru tenebat et cuius in nares nescioqui odor inflatus sit: „Aliquid” inquit, „procul dubio adest

bellicum, nam sapio pulverem pyrium necnon funiculum accensivum." His auditis Dominus Comarchus fugâ salutem petens saepimentum raptim transiluit. At cum insiliret in rastri cuspides, quos fenisicio facto ibi erat relictum, rastri manubrium in faciem Domini Comarchi est iniectum, ut pateretur ictum vehementem. Tum Dominus Comarchus: „*Vae mihi, vae mihi*" exclamavit, „*captum me comprehende me - habeas me traditum! Trado me!*" Sex autem Suebi ceteri omnes unus in alium insiliebant et clamabant: „*Si tu te trades, ego me tradam: si tu te trades, ego quoque me tradam.*" Denique nullo hoste praesente, qui se vincire et abducere posset, animadverterunt se esse deceptos et, ne haec res odiosa innotesceret neve propter eandem irriderentur et subsannarentur, omnes inter se iuraverunt se de istâ re tam diu tacituros esse, usque dum unus suorum ôs aperiret.

Deinde iter suum perrexerunt. Alterum autem periculum, quod Septem Suebi subierunt, cum primo non potest comparari. Nonnullis diebus transactis iidem pervenerunt ad vervactum, in quo sedebat lepus apricans et dormiebat auribus arrectis, magnis oculis vitreis et torpidis apertis. Tum isti viri fortes aspectu bestiae ferae atque crudelis omnes territi consuluerunt, quidnam facturi essent minimê periculosum. Nam si aufugissent, timendum fuisset, ne monstrum istud se persequeretur et devoraret neque cutem neque ullum capillum relicturum. Itaque Septem Suebi: „*Non possumus*" inquit, „*quin pugnam superemus magnam atque periculosam. Fortes Fortuna adiuvat!*". His dictis omnes septem Suebi veru apprehenderunt, Dominus Comarchus loco primo, et Vitulus loco ultimo. Dominus Comarchus adhuc volebat veru retinere, sed Vitulus loco ultimo positus perquam audax impetum facturum vocavit:

„*Tu Suebus es - fac aggrediaris,
cum cessas - vae tibi! - infirmaris!*"

At Iohannulus scivit, quonam modo Vitulum moneret:

„*Proh Deus! Facile tu gloriaris,
cum semper ultimus luctaris.*"

Michael autem vocavit:

„En monstrum horrendissimum,
num videam *Diabolum*?”

Deinde ordo vocavit *Georgiolum*, qui dixit:

„Est *mamma* eius, nisi est *Diabolus*!
An est ipsius *Satanae fraterculus*?”

Martinulus autem, cuius animum subiit aliquid bonum et utile, dixit *Vitulo*:

„Heus tu, care *Vitule*, fortiter *praeîto*!
mâlo pugnare tuo impetu *finîto*.”

Vitulus autem hoc non audivit, et *Iacobellus* dixit:

„*Comarchum* decet inveni nobis *priorem*,
patet ei *sôli* deberi hunc honorem.”

Tum *Dominus Comarchus* animo capto dixit magnâ cum gravitate:

„Ergo decet omnes unâ nos pugnare,
patet sic viros fortes se praestare.”

Itaque omnes unâ invecti sunt in draconem, *Dominus Comarchus* sibi benedixit et Deum invocavit, ut sibi adesset; at cum haec omnia non prodessent Suebo hostem accedenti, summo terrore correptus îdem exclamavit „*hau! hurlehau! hau! hauhau!*” Quibus sonis auditis lepus expergefactus properê prosiliens aufûgit. Cum autem *Dominus Comarchus* leporem videret militiam subterfugere, summo gaudio commotus vocavit:

„*Babae*, mi *Vitule*, vide quale sit spectaculum!
Nil vides horrendissimum, nil nisi *lepusculum*.”

Nunc autem ista Unio Sueborum alia pericula petens subeunda pervênit ad *Mosellae* fluvium altum et tranquillum et muscosum, qui tantâ est pontium raritate, ut pluribus locis necesse sit eundem navibus transire. *Septem Suebi* de hac difficultate cum non essent certiores facti, alicui viro, qui in alterâ ripâ fluvii opus suum faciebat, acclamantes quaesiverunt, quonam modo istum fluvium possent transire? At ille vir propter distantiam necnon propter sermonem Sueborum sibi ignotum non intellexit, quid vellent, et quaesivit ex illis dialecto suâ Trevericâ: „*Quo vaditis? Dicite, quo vadatis!*” Tum *Dominus Comarchus* sensit illum virum Suebis suasisse, ut „*per aquam vadarent*” et quia ipse fuit primus, profecturus erat ad *Mosellam* pedibus transeundum. At îdem fluvium introgressus mox limo undisque altis affluentibus submersus est, sed eius petasus vento proiectus est ad ripam ultra sitam, et rana quaedam eidem assidens coaxavit „*vad, vad, vad.*” Hôc sono audito sex Suebi ceteri adhuc in alterâ ripâ stantes: „*Dominus Comarchus*” inquiunt „*sodalis noster, nos advocat, si ille potest illuc vadare, quidni nos quoque?*” Itaque omnes unâ properê in aquam insiluerunt, et aquis submersi sunt. Ita factum est, ut ab unâ tantum ranulâ sex homines interficerentur, et nemo huius *Unionis Sueborum* particeps umquam domum reveniret.

FINIS

120. DE TRIBUS FABRIS SOCIIS



Aliquando fuerunt tres fabri socii, qui inter se pacti erant, ut semper unâ migrarent, et in aliquo oppido operarentur. At aliquando nullam iam acceperunt mercedem, ut ad summam paupertatem redacti vitam non iam possent sustentare. Tum unus: „Quid” inquit „faciamus? Non diutius possumus unâ manere; hoc oppidum sit ultimum, in quod nunc veniamus; nisi hîc invenerimus opus faciendum, cauponi deversorii dicamus nos ei scripturos esse, ubi versemur, ut unus acciperet nuntium alterius, et deinde discedemus.” Hoc etiam duobus sociis ceteris maximê placuit. Iisdem adhuc colloquentibus vir quidam obvênit vestimentis pretiosis indutus, qui fabros rogavit, quales homines essent. „Fabri sumus operam quaerentes, usque nunc unâ versati sumus, sed quia nullam iam operam invenimus, volumus discedere.” Tum ille vir: „Ab hac curâ,” inquit, „vos liberabo, si facere volueritis ea quae vobis dixerò, neque vobis deerit pecunia neque opera facienda; immo, magni domini eritis et vehemini carpentis.” Unus dixit: „Nisi hoc” inquit „nocebit nostrae animae atque beatitudini, faciamus.” Vir autem respondit: „Non nocebit, non sum particeps vestrum”. At alter socius cum vidisset viri pedem unum esse equinum et alterum humanum, noluit cum isto viro ullo modo pacisci. At

diabolus: „Nolite” inquit „sollicitari, non peto animas vestras sed aīus hominis animam, cuius iam pars dimidia est mea, et cuius mensura est complenda”. Quia nunc crediderunt se esse securos, assenserunt, et diabolus iisdem dixit, quid postularet; primus ut omni quaestioni responderet: „nos tres omnes”; alter „pro pecuniâ”; tertius „et hoc iustê factumst”. Haec ut semper dicerent unus post alium, plura ne quid verbum dicerent, et si hoc praeceptum transgressi essent, statim totam pecuniam evasuram esse; sed dum praeceptum servarent, eorum sacculos semper fore pecuniae plenos. Iam in initio diabolus fabris tantum pecuniae dedit, quantum portare potuerunt, eosque iussit in oppido ire in hanc et in illam cauponam. Fabri in cauponam ierunt; caupo iisdem obveniens rogavit: „Vultisne aliquid comedere?” Primus respondit: „Nos tres omnes.” Caupo autem: „Certê,” inquit, „hoc putaram.” Alter autem socius: „Pro pecuniâ.” Caupo: „Scilicet”. Tertius autem faber: „et hoc iustê factumst.” Caupo dixit: „Certê iustê factum est”. Nunc sociis allata sunt bona esculenta atque potulenta, et bene ministratum est; post cenam pecunia erat solvenda; tum caupo uni fabro obtinuit rationem nummariam, et is dixit: „nos tres omnes”, alter: „pro pecuniâ”, tertius: „et hoc iustê factumst.” - Tum caupo: „Scilicet” inquit „rectê factum esse. Omnes tres pecuniam solvunt, nam sine pecuniâ nullos dare cibos possum.” Sed fabri plus pecuniae solverunt quam caupo postulaverat. His aspectis et auditis hospites dixerunt: „Patet istos homines mente captos esse.” Tum caupo: „Verum” inquit „iidem sanê non ita prudentes sunt.” Sic socii aliquantis manserunt in cauponâ, et nemo ullo verbo locutus est nisi dixit: „Nos tres omnes”, „pro pecuniâ”, „et hoc iustê factumst”. Tamen viderunt et intellexerunt omnia, quae in cauponâ dicta et facta sunt. Factum est, ut magnus mercator veniret zaplutus¹ et: „Domine Caupo” inquit, „absconde pecuniam meam, nam quia hîc sunt isti tres fabri socii mente capti, periculum est, ne eandem sint captaturi.” Hoc fecit caupo; cum manticam mercatoris in conclave gereret, sensit eandem esse auro ponderosam; deinde tribus fabris attribuit infra cubile, sed mercatori peculiare conclave supra situm. Cum esset media nox, et caupo cogitaret omnes dormire, idem vênit unâ cum uxore suâ, et secum gesserunt asciam lignariam, quâ occîderent mercatorem zaplutum; homicidio facto cubitum ierunt. Primâ luce factus est magnus strepitus, nam mercator inventus est

1 zâplûtus, -a, -um (gr. ζάπλωτος) PETRON.37,6 i.q. praedives.

in lecto suo mortuus, sanguini suo innatans; tum omnes hospites concurrerunt, sed caupo: „Hoc” inquit „factum est a tribus fabris mente captis.” Hospites cauponi assensi dixerunt: „Nullus alius istud facere potuit.” Sed ex illis arcessitis quaesivit: „Vosne mercatorem interfecistis?” Tum primus: „Nos tres omnes”, alter „pro pecuniâ”, tertius „et hoc est iustê factum”. Deinde caupo: „En” inquit, „auditis eos ipsos facinus confiteri”.

Ergo fabri in carcerem sunt abducti, ut supplicium subirent. Cum viderent se esse in summo discrimine rerum, anxiiis curis impleti sunt animi fabrorum. Sed nocte vênit diabolus et: „Perdurate diem, nisi fortunam vestram destruetis, ne digito quidem attingemini.”

Postridie mâne tres socii ad iudicem sunt ducti; tum iudex: „Vosne” inquit „estis homicidae?” „Nos tres omnes.” „Cur mercatorem occîdistis?” „Pro pecuniâ”. Deinde iudex: „Vos malefici” inquit „nonne timuistis, ne istud peccatum committeretis?” „Hoc est iustê factum.” Iudex autem: „Confessi sunt” inquit „necnon sunt pertinaces. Statim ducite istos ad supplicium sumendum.”

Ergo foras sunt abducti, et cauponi unâ cum illis circulus fuit intrandus; fabri modo iam a carnificis servis comprehensi ducebantur in compagem, ubi stabat carnifex cum gladio dextrico, cum subito vênit carpentum, cui adiuncti erant quattuor equi coloris sanguinei, et vectum est tam velociter, ut ignis saliret ex lapidibus - et ex fenestrâ carpenti aliquis ostentabat pannum album.

Tum autem carnifex: „Ecce venit venia!” et ex carpento clamatum est: „Date veniam, veniam!” Tum egressus est diabolus in dominum pernobilem, magnificê vestitum mutatus et: „Vos tres viri estis innocentes; nunc vobis licet liberê loqui, eloquimini, quid videritis et audiveritis.” Tum faber maximus natu: „Nos” inquit „non occîdimus mercatorem, homicida ibi stat in circulo” et digito indicavit cauponem, „ut indicium inveniatis, ite in eius hypogeum, ibidem etiam multi alii pendent, quos occîdit.”

Tum iudex servos carnificis in hypogeum misit; iisdem invenerunt ea quae fabri dixerant, et cum iudici haec rettulissent, îdem curavit cauponem adducendum et decollandum. Denique diabolus tribus fabris sociis dixit

haec: „Nunc illam habeo animam, quam habere volueram, et vos habetis pecuniam, quae sufficiet in vitam vestram reliquam.“

**FABELLAM GRIMMIANAM
C.T.**

DE TRIBUS FABRIS SOCIIS
(„Die drei Handwerksburschen“)

**IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

121. DE FILIO RÊGIS QUI FUIT TIMORE VACUUS.¹

Aliquando fuit filius rēgis, cui nihil iam placuit in domo patris sui, et quia semper fuit timore vacuus, cogitavit: „Ibo in terras longinquas, ubi numquam vexabor molestiâ temporis, et spectabo satis multas res mirabiles.“ Itaque parentibus valedixit et profectus est, et semper semperque ibat, a mâne usque ad vesperum, nec ullo modo curabat, quonam iter facturus esset. Factum est, ut iuvenis veniret ad domum gigantis, et quia fatigatus erat, consedit ante ianuam et requievit. Oculos suos huc illuc commovens iuvenis in aulâ gigantis conspexit crepundia deposita; inter eadem fuerunt duo globi magni et conii ingentes. Aliquantulo post filius rēgis captus est voluptate ludendi, conos collocavit, et globos iaciebat in conos, ut iidem deciderent, clamabat et vocabat, cum conii decidebant, et erat bono animo. Strepitu audito gigas ingens caput erexit, et conspexit hominem, qui non maior fuit quam ceteri homines, sed ludebat globis gigantis. Tum vocavit gigas: „Vermicule, quid conis ludis meis? Quis te instruxit tanto robore?“ Filius rēgis suspexit et gigantem

¹ Tac. Ann. 15, 36 (de Nerone) illic veneratus deos, cum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione **numquam timore vacuus**, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans.

aspectans: „O trunco" inquit, „videris putare nullius brachia esse robusta nisi tua? Ego omnia possum facere, quod facere cupio." Gigas autem descendit, filium rēgis aspexit perquam obstupefactus et: „O homo optime, si talis es, i et affer mihi m̄lum de Arbore Vitae carptum." Filius autem rēgis: „Quid facies" inquit, „de illo fructu?". Deinde gigas respondit: „Illud m̄lum non velim accipere mei causā, sed sponsa mea hunc fructum desiderat; ipse iam profectus eram, sed illam arborem invenire non potui." - Tum filius rēgis: „Ego" inquit „si profectus ero, illam arborem inveniam, et mirarer, nisi illud pomum deferrem." Gigas autem: „Hoc est" inquit „opinione tuā difficilius; hortus enim, cui inest arbor, circumclusus est cancellis ferreis, et ante cancellos iacent bestiae ferae, una iuxtam alteram, qui vigilant nec ullum hominem sinunt introire." Sed filius rēgis: „Me quidem" inquit „sinent introire. Ego timeo nihil." „Etsi eris in horto, et videbis m̄lum ex arbore pendens, tamen nondum erit tuum, nam ante pomum pendet anulus, per quem necesse est eum ingerere manum, qui m̄lum vult assecutus decerpere, quod usque nunc nemini contigit, ut faceret." - Tum filius rēgis: „O" inquit, „hoc mihi restat, ut faciam. Hoc mihi succedet feliciter."

Deinde filius rēgis giganti valedixit et abiit per montes et valles, per campos et silvam, usque dum denique inveniret Hortum Mirabilem. Bestiae circumcirca iacebant, sed capitibus demissis dormiebant. Nec excitatae sunt, et iuvenis easdem transcendit, et cancellis praeteritis feliciter pervēnit in Hortum. Tum conspexit Arborem Vitae medio in Horto sitam, et m̄la rubra ex arbore pendentia lucidissima. Iuvenis per stipitem sursum nixus manum ad m̄lum porrigens conspexit anulum ante fructum pendentem, sed sine ullā difficultate potuit manum per anulum ingerere et m̄lum decerpere. At anulus brachio affixus haesit et filius rēgis subito sensit tantum roboris, ut animadverteret se nunc omnia posse domare. Cum ex arbore descendisset, noluit per cancellos nixus transire, sed magnam portam correptum semel quassatam effecit, ut eadem crepitans aperiretur. Tum egressus est et leo, qui ante portam iacuerat, experrectus prosiluit iuvenem secuturus, sed non irā atque ferocitate affectus, sed eum humiliter secutus est dominum, oboediens, neque iam voluit iuvenis vestigium relinquere.

Deinde filius rēgis giganti attulit m̄alum promissum dicens: „Viden'? Hoc pomum attuli sine magno labore." Gigas gavisus, quod tam facile acceperat rem tam vehementer desideratam, properavit ad sponsam suam eique dedit m̄alum. Eadem erat virgo pulchra atque prudens, quae cum videret anulum non adhaerere bracchio suo: „Non credo te m̄alum attulisse antequam anulum videam bracchio tuo adhaerentem." Tum gigas: „O," inquit, „Ibo domum, ut afferam," credens facile fore anulum auferre homunculo infirmo, nisi benevolē dedisset. Deinde rediit et anulum a filio rēgis postulavit tradendum; is autem tradere noluit. Gigas autem: „Ubi est m̄alum" inquit, „oportet etiam sit anulus. Nisi dederis eum benevolē, debebis mecum luctari de eodem".

Diu inter se luctati sunt, sed gigas non potuit filium rēgis superare, quia is valuit vi anuli praeditus. Tum gigas dolo excogitato: „Luctando" inquit „calecti sumus. Primo in fluvio balneum sumamus, ut refrigeremus, antequam denuo luctemur."

Filius rēgis, qui nihil scivit de falsitate, cum gigante iit ad aquam, vestimenta exuit, etiam anulum de bracchio strinxit, eumque iuxta vestimenta deposuit, et fluvium iniit. Statim gigas anulum corripuit et cum eodem aufūgit, sed leo furto animadverso dominum comitans gigantem persecutus et anulum ab eodem abripuit. Tum gigas irā incensus resiluit ad aquam, et quia filius rēgis modo vestimenta sua induebat, eum comprehendit et cultro eius ambos oculos effodit.

Nunc miser filius rēgis fuit caecus, et pedibus constans nescivit, quid faceret. Tum gigas accessit ad eum malevolens. Tacitus iuvenem caecum manu apprehensū, eum quasi vellet adiuvere, abduxit ad alti saxi summitatem. Deinde filium rēgis reliquit cogitans: „Si iste nonnullos tantum gradūs prodierit, se praecipitabit, ut moreretur; tum eo anulum auferam.' At leo fidelis dominum suum non deseruerat, vestem eius detinuit correptam et paulatim retraxit. Gigas reversus cum hominem mortuum vellet diripere, invēnit eum salvum servatumque et dixit sibi ipse irā incensus: „Vix credibile est tantulum homunculum non posse deleri!", filium rēgis correptum iterum duxit ad barathrum; sed leo, qui animadvertit gigantem malum habere in animo, fideliter dominum suum e periculo servavit. Cum usque ad marginem venirent, et gigas manum filii

rêgis emisit, ut eum solum relinqueret, tum leo summâ cum vehementiâ insiluit monstrum, ut praecipitatum prorsus diffringeretur.

Deinde dominum suum detraxit, et ad arborem duxit, quam praeterfluebat rivus limpidus. Ibidem filius rêgis consedit, leo accubuit rivo, et, quantum potuit, faciem iuvenis aquâ aspersit. Nonnullae saltim guttulae feliciter ad oculos aspersae sunt, ut iidem umidarentur, et filius rêgis animadverteret se visum suum aliquatenus recuperare, nam tam bene videret, ut nonnullas res dignosceret in propinquo sitas. Sed nescivit, quomodo hoc effectum esset.



Tum vidit aviculam, quae praetervolavit proximê faciem eius, in stipitem arboris, ut collideret, quasi esset caeca; sed se devertit ad aquam ibique se balneavit, deinde sursum profecta tam securê inter arbores volavit, ut pateret eam denuo visu instructam esse. Tum filius rêgis cogitavit hunc esse nutum Dei, capite ad aquam deflexo faciem lavit et balneavit. Cum surrexisset, oculos suos recuperavit, lucidiores atque puriores, quam umquam antea fuerant.

Deinde filius rêgis Dei gratias egit pro magnâ veniâ et unâ cum suo leone iter per mundum perrexit. Nunc factum est, ut perveniret ad castellum, quod erat devotum; in portâ stabat virgo, quae fuit formâ pulchrâ et facie subtili, sed prorsus nigri coloris. Quae iuvenem sic allocuta est: „Eheu,

nonne me redimere potes a vi magicâ, quâ cogor ut hîc maneam!" Tum filius rēgis: „Quidnam" inquit „vis faciam, ut te liberem?" Virgo autem respondit: „Necesse est, ut tres noctes degas in magno oeco castelli devoti, sed ne ullus timor veniat in cor tuum. Si perpessus eris mala tibi allata nullum sonum êdens, ego ero redempta; non autem illis licebit tibi auferre vitam." Tum filius rēgis: „Deo adiuvante" inquit „conabor hoc efficere, nam nihil timeo quaecumque sunt in toto orbe terrarum." Itaque laetê iit in castellum, consedit in oeco magno, exspectavit usque dum nox veniret. Silentium fuit et tranquillitas usque ad mediam noctem, deinde incohatus est strepitus, non sôlum per ianuas, sed ex omnibus angulis advenerunt parvi diaboli. Qui simulaverunt se iuvenem non videre, consederunt medio in conclavi, ignem accenderunt, coeperunt ludere. Si quis vincebatur: „Non decet" inquit, „aliquem adesse, qui non sit nostri. Istius culpâ ego victus sum." Alter autem: „Exspecta", homuncio, qui sedes post fornacem, dum ego veniam". Clamatio autem diabolorum etiam etiamque maior erat et molestior, quam ut ab ullo homine posset audiri sine terrore. Filius rēgis non timuit, sed denique diaboli prosiluerunt et in eum invecti sunt et numerosiores fuerunt, quam ut se posset defendere. Diaboli autem iuvenem correptum ad pavimentum traxerunt, vellicabant, premebant, mulcabant, vexabant, sed îdem sine timore ista pertulit nullum sonum êdens. Brevi ante diluculum evaserunt, iuvenis tam fatigatus erat, ut vix membra posset movere; primâ luce conclave intravit *Virgo Nigra*. Quae manu suâ lagunculam tenens, cui inerat aqua vitae, quâ eum lavit, ut mox sentiens omnes dolores evanescere esset laetus atque vegetus. Virgo: „Unam noctem" inquit, *feliciter perdurasti, sed imminent tibi duae reliquae.*" Tum virgo abiit, et eâdem abeunte iuvenis animadvertit pedes puellae esse albos.

Nocte sequenti diaboli revenerunt et lusum suum iterum incohaverunt, mox invecti sunt in filium rēgis eumque vehementer mulcabant, multo durius quam nocte praeteritâ, ut corpus iuvenis vulneribus abundaret. Sed quia omnia perpessus est tacitus, diaboli non potuerunt, quin desisterent ab eodem mulcando, et aurorâ exortâ virgo apparuit iuvenemque sanavit aquâ vitae. Virgine autem abeunte filius rēgis vidit eam iam ex dimidiâ parte usque ad summos digitos albam factam esse.

Nunc una tantum nox in castello devoto degenda iuveni restitit perferenda, sed ista fuit pessima.

Revênit caterva satanica; „Tune ades adhuc?“ diaboli clamaverunt, „*exspecta, te tam vehementer vexabimus, ut tibi spiritus deficiat.*“ Iuvenem pungebant et mulcabant, huc illuc iactabant, membra eius corripiebant, quasi vellent eum dirumpere, sed is ne unum quidem sonum doloris aut angoris edidit, se ipsum consolatus est cogitans ista mox transactum iri, et deinde virginem liberatum iri.

At a diabolis relictus prostratus iacuit mentis inops et corpore debilis; neque potuit suspicere, ut virginem videret intrantem, ut eum Aquâ Vitae irrigaret et infunderet. At subito ab omnibus doloribus est liberatus, et sibi visus est recens atque valens, quasi e somno excitatus esset, et cum oculos aperiret, conspexit virginem iuxta se stantem, quae fuit coloris nivei et tam pulchra, ut luceret tamquam dies lucidus. Eadem dixit iuveni: „*Surge, et vibra gladium tuum ter super scalas, ut omnia redimantur.*“ His autem factis totum castellum a vi magicâ erat liberatum. Virgo autem fuit filia quaedam rēgis dives; ministri venerunt dicentes in oeco magno mensam iam cibus instructam esse. Ibidem autem consederunt et unâ comederunt et biberunt necnon vespere magnâ cum laetitiâ celebratae sunt nuptiae. ---

FINIS

Desunt adhuc fabellae 122-140.

141. DE AGNELLO ET PISCICULO

Aliquando erant fraterculus atque sororcula, qui inter se medullitus amabant. Eorum mater vera cum iam diu esset mortua, erat noverca, quae malevola illis omne faciebat malum. Factum est, ut hi parvuli in prato ante domum luderent cum aliis. Ad pratum autem erat piscina, quae pertinebat usque ad domûs latus alterum. Parvuli autem ibi circumcursantes unusque alterum assectantes ludebant enumerationem:

Enece, benece,
 serva meam animam,
 nam accipies aviculam,
 avicula quaerat stramentum,
 stramentum dabo vaccis,
 vaccae dabunt lac,
 lac dabo pistori,
 pistor faciat placentam,
 placentam dabo cattaë,
 catta capiet mures,
 mures fumigabo
 necnon insecabo."

Cum in orbem constitissent, ei, in quem incidebat verbum insecandi, erat aufugiendum; ceteri autem illum persecuti capiebant. Noverca autem parvulos laetê circumcursantes cum ex fenestrâ aspectaret, stomachata est. Eadem artium magicarum perita per carmina illas convertit in aliam naturam, fraterculum in piscem, sororculam in agnulam. Tum pisciculus in piscinâ huc illuc natabat, agnula in prato huc illuc ibat, tristis erat, nihil comedebat neque ullum graminum culmulum attingebat. Sic aliquanto temporis transacto convivae alieni venerunt ad castellum. Noverca autem fallax cogitans ‚nunc quidem occasio bona est’ coquum advocatum appellavit verbis his: ‚i et affer agnulam e prato eamque macta, nam nullum habemus alium cibum offerendum.’ Tum coquus foras exiit et agnulam attulit et secum in coquinam adduxit et pediculos eius colligavit; quae agnula omnia passa est patienter. Coquus autem cultrum dstrictum

in limine acuebat, ut agnulam iugularet, cum eadem subito vidit pisciculum in fusorio huc illuc natantem et ad se ipsam suspicientem. Îdem enim pisciculus erat fraterculus, quae, cum vidisset coquum agnulam abducentem, per piscinam nataverat usque ad domum. Tum agnula deorsum clamavit:

'vae fratercule, qui natas in lacu profundo,
quam dolet mihi cor!
coquus cultrum acuit,
cor meum transsecturus.'

Pisciculus respondit:

'vae sororcula in alto versans,
quam dolet mihi cor
in isto lacu profundo!'

At coquus cum audiret agnulam loqui et pisciculum appellare verbis tam tristibus, territus cogitavit agnulam non esse naturalem, sed a malâ muliere in domo versante devotam. Tum dixit: 'Noli sollicitari, te non mactabo,' aliam bestiam sumptam convivis praeparavit, et agnulam apportavit ad bonam rusticam, cui omnia narravit, quae viderat et audiverat. Eadem autem rustica cum fuisset nutrix sororculae, statim suspicata est, quis esset, et cum agnulâ iit ad mulierem sapientem. Tum mulier sapiens agnulae atque pisciculo benedixit; quo factum est, ut ambo remutarentur in naturam humanam, et deinde ambos duxit in silvam magnam in domunculam, ubi habitabant contenti et felices.

**Hanc fabulam Grimmianam
e theodisco sermone in Latinum convertit
Nicolaus Groß**



LEO LATINUS

**IN HÔC VOLUMINE III ADHUC DESUNT
FABELLAE 122-140 et 142-168**

SERIES FABELLARUM VOLUMINUMQUE

CONTINUABITUR

INDEX TITULORUM LATINORUM, THEODISCORUM, ANGLICORUM

Ad fabellas Grimmianas Latinê reddendas adhibui editionem textuum originalium, quae sequitur:

RÖLLEKE, Heinz (ed.): Kinder- und Hausmärchen gesammelt durch die Brüder Grimm. Vollständige Ausgabe auf der Grundlage der dritten Auflage (1837). Herausgegeben von Heinz Rölleke. Darmstadt (Wissenschaftliche Buchgesellschaft) 1999.

ARGUMENTA

101. De Diabolo veste viridi induto	2-4	Der Teufel Grünrock
102. De urso et ave regulo	5-8	Der Zaunkönig und der Bär
103. De pulte dulci	9	Der süße Brei
104. De bestiis fidelibus	10-13	Die treuen Tiere
105. Fabella bufonis	14-15	Märchen von der Unke
106. De paupere socio molinario et cattulâ	16-20	Der arme Müllerbursch und das Kätzchen
107. De cornicibus	21-24	Die Krähen
108. Iohannes Meus Erinaceus	25-32	Hans mein Igel
109. De camisiolâ funebri	33	Das Totenhemdchen
110. Iudaeus in spineto versatus	34-38	Der Jude im Dorn
111. De iuvene venandi perito	39-44	Der gelernte Jäger
112. De caelesti flagello triturario	45	Der Dreschflegel vom Himmel
113. De duobus filiis rēgis	46-54	Die beiden Königeskinner
114. De vestificulo prudente	55-58	Vom klugen Schneiderlein
115. Sole claro rem patefactum iri	59-60	Die klare Sonne bringt's an den Tag
116. De luce caeruleâ	61-64	Das blaue Licht
117. De infante contumaci	65	Das eigensinnige Kind
118. De tribus medicastris campestribus	66-69	Die drei Feldscherer
119. De Septem Suebis	70-73	Die sieben Schwaben
120. De tribus fabris sociis	74-77	Die drei Handwerksburschen
121. De filio rēgis qui fuit timore vacuus	78-83	Der Königssohn der sich vor nichts fürchtet
122.		Der Krautesel
123.		Der Alte im Wald
124.		Die drei Brüder
125.		Der Teufel und seine Großmutter
126.		Ferenand getrü un Ferenand ungetrü
127.		Der Eisenofen
128.		Die faule Spinnerin
129.		Die vier kunstreichen Brüder
130.		Einäuglein, Zweiäuglein und Dreiäuglein
131.		Die schöne Katrinelje und Pif, Paf, Poltrie

132.		Der Fuchs und das Pferd
133.		Die zertanzten Schuhe
134.		Die sechs Diener
135.		Die weiße und die schwarze Braut
136.		Der wilde Mann
137.		De drei schwatten Prinzessinnen
138.		Knoist un sine dre Sühne
139.		Dat Mäken von Brakel
140.		Das Hausgesinde
141. De agnello et pisciculo	84-85	Das Lämmchen und Fischchen
142.		Simeliberg
143.		Up Reisen gohn
144.		Das Eselein
145.		Der undankbare Sohn
146.		Die Rübe
147.		Das junggeglühte Männlein
148.		Des Herrn und des Teufels Getier
149.		Der Hahnenbalken
150.		Die alte Bettelfrau
151.		Die drei Faulen
152.		Das Hirtenbüblein
153.		Die Sterntaler
154.		Der gestohlene Heller
155.		Die Brautschau
156.		Die Schlickerlinge
157.		Der Sperling und seine vier Kinder
158.		Das Märchen vom Schlauffaffenland
159.		Das Dietmarsische Lügenmärchen
160.		Rätselmärchen
161.		Schneeweißchen und Rosenrot
162.		Der kluge Knecht
163.		Der gläserne Sarg
164.		Der faule Heinz
165.		Der Vogel Greif
166.		Der starke Hans
167.		Das Bürle im Himmel
168.		Der goldene Schlüssel